

OF·GEMS·&c GEM·CUTTING
GEMSTONES·OF·NORTH·AMERICA·PROSPECTING·FOR·GEM
STONES·AND MINERALS
MINERALOGY·EMERALD·AND·OTHER·BERYLS·CATALOG
EX LIBRIS
JOHN SIN KAN KAS

# ANDREÆ BACCII ELPIDIANI PHILOSOPHI, MEDICI ET CIVIS ROMANI, DE GEMMIS ET LAPIDIBUS pretiosis, eorumq; viribus & vsu tractatus, Italica lingua conscriptus:

*NVNC VERO NON SOLVM in Latinum sermonem conuersus, verum etiam vtilissimis annotationibus & obseruationibus auctior redditus.*

A WOLFGANGO GABELCHOVERO, MEDICINÆ DOCTORE & Physico Calvvensi ordinario.

*Cui accessit disputatio, de generatione auri in locis subterraneis, illiusq; temperamento.*

FRANCOFVRTI
Ex officina Matthiæ Beckeri, impensis
NICOLAI STEINII,

ANNO M. DC. III.

*ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOmino* FRIDERICO, *Duci Wirtembergico & Teccensi, Comiti Montis Belgardi, Domino Haidenhaimi, Domino suo clementissimo.*

ILLVSTRISSIME Princeps, Domine clementissime. Gemmas antiquitus in magna fuisse maiestate, tàm conspicuum est, vt cum nihilo cōsultius facturum existimem, qui illarum dignitatem multis encomiis commendare niteretur, quam qui Solis lumen leuiculo quopiam fulgore, clarius efficere, aut luxuriantibus aliquot (longè tamē imparibus) pictorum more, coloribus illud assequi conetur. Id quod non solùm ob

gratam ipſorum pulchritudinē, quæ ſenſibus noſtris deprehenditur: verum etiam ex diuinis ipſarum naturis & proprietatibus abunde patet. Colligitur hoc ex eo, quod Deus O. M. iis ipſis, Aaronis, ſummi ſacerdotis tunicā, pręcipuè verò pectorale ipſius, exornari mandauit, ſine quo etiam ipſum coram tremenda ſua maieſtate comparere noluit. Eiſdem cœleſtis Hieroſolymæ muros, S. Apoſtolus Ioannes in Apocalypſi deſignat. Hinc vetus & tritum antiquorum Philoſophorum dictum ortum habuit: In herbis, verbis & lapidibus magnas conſiſtere virtutes, ratione quarum tum in medicina, tum extra illam, mirabilia operentur. Quas Andreas Baccius Elpidianus, Philoſophus eximius, & rerum naturalium inueſtigator ſolertiſſimus, in opuſculo hoc, poſt omnes alios, breuiter explicare, Autorum etiam quorundam, malè de gemmis ſentiētium, errores, perſtringere & confutare voluit. His ſubiunxit nouum & ſingularem

rem tractatum, de auro & eius generatione atq; temperamento, in locis subterraneis: id quod à nullo hactenus tanta cum fælicitate, ex ipsis naturæ principiis, demonstratum fuisse vidi. Vnde cum Autor hic eiusque doctissimæ lucubrationes, magni apud Italos, Romanos præsertim, fiant, tractatum hunc, ex Italica in Latinam linguam summa, qua potui, fidelitate, nullo affectato aut ornato dicendi genere vsus, sed vulgari duntaxat, res ipsas nudas exponens, transferre, & annotationibus atque obseruationibus non vulgaribus, illustrare volui, sperans, me omnibus rerum naturalium studiosis, operam nõ ingratam præstitisse. Cumque hinc inde circumspicerem, cuinam patrono has meas lucubrationes dedicare deberem: ecce Princeps Illustrissime, C. T. mihi occurrit, quam peregrinis & exoticis rebus, summe delectari, illasque vndiq; studiosè conquirere fama est. Id quod à summis principibus, perpetuò factum fuisse vide-

mus: quos si enumerare omnes vellē, tempus me deficeret. Suscipiat ergo C. T. opusculum hoc hilari ac serena frō-te, illudq́; à maleuolorum obtrectationibus clementer protegere dignetur. Nec C. T. molestum sit, tanti Principis nomine, n[illegible]am hanc fœturam splendere, quo mihi ipsi, nullum aliud gloriosius aut honorificentius fore, spero. Quod si C. T. hoc munusculū illa qua rebus etiā minimis, magnū pondus affert, clementia & humanitate (vt spero) complectetur, non vereor, ne quēadmodum C. T. meum animum (cum in magnis saltem voluisse sat sit) sic cæteri omnes munusculum, eiusq́; offerendi cām, vehementer nō apꝓbaturi sint. Deus O.M. C. T. ad nominis sui gloriam & Illustriss. domus Wirtemb. decus incolumē diutissime conseruare dignetur. Datæ Calwæ 28. Mensis Ian. Anno salutis 1603.

*C. T. subiectissimus*
*Physicus Calvv. ordinarius*
*VVolffgang.* Gabelcho-
*uer Med. D.*

CATA-

# CATALOGVS AVTORVM QVORVM IN HOC VOLVMINE DICTA QVÆDAM vel probantur, vel illuſtrantur vel refutantur, & à quibus dictorum teſtimonium petitum eſt.

A.

*Adolphus Scribonius.*
*AElianus.*
*AEneas Siluius.*
*Albertus Magnus.*
*Alexander Trallianus.*
*Alexander Benedictus.*
*Alexander Aphrodiſienſis.*
*Aloyſius Mondella.*
*Aluanus Torreſius.*
*Amatus Luſitanus.*
*Ammianus Marcellinus.*
*Andreas Turinus.*
*Andreas Aurifaber.*
*Antonius Muſa Braſſauolus.*
*Antonius Guaynenus.*

*Archangelus Mercenarius.*
*Archelaus.*
*Aristoteles.*
*Arianus Philosophus & Historicus.*
*Arnoldus de villa noua.*
*Auenzoar.*
D. *Augustinus.*

B.

*Balthasar Hagelius.*
*Bernhardus Dessennius.*

C.

*Camillus Leonardus.*
*Chiranides.*
*Christophorus Encelius.*
*Claudianus.*
*Claudius Richardus.*
*Conciliator.*
*Conradus Gesnerus.*

D.

*Dantes Aliger.*
*Diodorus Siculus.*
*Dioscorides.*
*Dispensatorium Norinbergense.*

E.

*Epiphanius.*

*Ioannes Fernelius.*
*Ioannes Guinterius Andernacus.*
*Ioannes Langius.*
*Ioannes Michaël Paſchalis.*
*Ioannes Kentmannus.*
*Ioſephus Hiſtoricus.*
*Iſidorus.*
*Iulius Cæſar Scaliger.*

L.

*Laurentius Valla.*
*Leonardus Fuchſius.*
*Ludouicus Vartomannus.*

M.

*Macrobius.*
*Marbodæus.*
*Marſilius Ficinus.*
*Marcellus Empiricus.*

N.

*Nicolaus Florentinus.*
*Nicolaus Perotius.*

O.

*Orpheus.*
*Ouidius.*

P.

*Fr. Paſchaſius Balduinus.*

*Valerius Maximus.*
*Vitalis de Furno.*
W*ilhelmus Budæus.*
W*ilhelmus de Conchis.*

AN-

# ANDREÆ BACCII ELPIDIANI, PHILOSOPHI, Medici, & ciuis Romani,

## TRACTATVS.

### De gemmarum natura, viribus, & vsu.

### CAP. I.

EX infinitis beneficiis atque donis, à Deo & natura in humanum genus collatis, gemmæ, & lapides, quos vocant preciosos, non minimum locum sibi vendicant: Qui præ cunctis creaturis, tanta sinceritate, puritate, claritate & pulchritudine pollent, vt non abs re firmamento stellarum comparentur, eorumque virtutes, infinitæ quasi referantur. Quas cum humani intellectus capacitas comprehendere minime omnes possit, quarundam tamen, & quidem præcipuarum probati Scriptores mentionem aliquam facere voluerunt. Quorum exemplum imitari dum studeo, breui hoc discursu, tempori parcens, reliquos prætereundo, de duodecim præcipuis nonnulla proferam, quos magnus

gnus Propheta Moyſes inſtitutione diuina admonitus Aaronis, ſummi ſacerdotis, habitum exornare iuſſit. Qui ex anteriori parte à pectore, & quaſi ſupra cor: ad veſtis extremitatem vſque propendebant, ac in quatuor diſtinguebantur ordines, vt ſinguli ternas gemmas precioſiores complecterentur. In horum primo ponebantur, Sardius, Topazius, Smaragdus: In ſecundo, Carbunculus, Sapphyrus & Iaſpis: In tertio Lyncurius, Achates & Amethyſtus: In quarto, Chryſolithus, Onyx & Berillus, auro incluſi & circundati per ordines ſuos: ſicut in cuiuſque lapidis hiſtoria apertius declarabitur. Quod ſane ſummi Sacerdotis ornamentum, ob duos principales fines ordinatum fuit, prout Epiphanius, Cypri Archiepiſcopus, & poſt illum S. Hieronymus ſuper Exodum cap. 28. & 39. & in Leuit. c. 8. ſanctè interpretantur, dum referunt doctrinam, & ſacerdotalis dignitatis magnæ præeminentiam in eo adumbratam. Per doctrinam intelligentes: quod ſicuti in lapidibus pretioſis ornamentum & pulchritudo cœli & ſtellarum reſplẽdet: ita ſummus Sacerdos per arcanarum rerum reuelationem, & magnalium Dei notitiam, teſte Euangelio, excellat. Et quemadmodum gemmæ infinitis virtutibus & dotibus cœleſtibus præditæ ſunt: eodem modo

*Ordo 12. Lapidum.*

do

do cuiusque virtutis radius, in Sacerdote ſplendere debeat, exiſtente ipſo ſpeculo & exemplo religionis, ſapientiæ, prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, & omnis actus virtuoſi: Simulque etiam, quod ad imitationem gemmarum, Sacerdos ad conſpectum intuentium & oculorum propriorum, optimo exemplo, & admirabili bonitate & puritate vitæ, aliis præire debeat, vt autoritatem tremēdam omnipotentis Dei, melius repræſentet. Vnde Ioſephus lib. 3. antiquit. Iudaic. cap. 12. teſtatur Hebræis antiquitus in more poſitum fuiſſe, vt bella gerentes, cum vexillo ſacerdotali harum duodecim gemmarum, comparerent. Nam priuſquam exercitus ſe moueret, tantus ſplendor ex illo prodire cōſpiciebatur, vt etiam procul poſitis appareret, & inimicorum inde oculi obfuſcarentur: Hebræi verò econtra de victoria bene ſperarent, & Deum ſibi adeſſe, opemque & auxilium inuocantibus allaturum eſſe crederent. Porrò duodecim hæ gemmæ, ſacerdotali pallio inſertæ, duodecim tribus Iſraël ſignificabant. Sic in Apocalypſi S. Ioannis S. Auguſtinus, in explicatione Pſalmi 86. dicit, figuratam fuiſſe cœleſtem Hieroſolymam, hoc eſt, ſanctam Dei Eccleſiam, fundatam ſuper duodecim lapides pretioſos, qui erant duodecim Apoſtoli cum alio ex abu-

*Hebræorum vexillum.*

*12. gemmæ cœleſtis Hieruſalem.*

abundanti, quæ Christum repræsentabat, significando stabilitatem eius æternam, cum maiestate & virtute incomparabili. Hinc antiqua & laudabilis consuetudo orta est, vt diademata & coronæ Regum & Pontificum gemmis pretiosissimis exornarentur: & simul etiam annulis nobilium & virtute præditorum hominum gemmæ insererentur; argumento euidenti, quod ad comparationem harum gemmarum, margaritarum & auri ipsorum personæ, omni virtutum genere, simulq; puritate & honestate vitæ incontaminatæ, resplendere debeant. Summorum Philosophorum constans fuit opinio, à sacris etiam Ecclesię Doctoribus confirmata in vniuersa natura, nulla videri opera, quæ maiorem nobis admirationem pariant, quam quæ in gemmis & pretiosis lapidibus apparent. Quod communis experientiæ testimonio frequenter comprobatum est, adeò vt in quibusdam affectibus & magnis animi perturbationibus, apud eos qui gemmas portarent seu ferrent, ingens mutatio, & manifesta in melius alteratio animaduersa sit. Præcipua earum vis se prodit, si vel in aspectum frequenter veniant, vel appendantur, aut annulis aliisue monilibus inclusæ, portentur. Sic enim mirabilia præstare asseruntur, occulta qua pollent proprietate &

*Diademata & coronæ Regum & Pontificũ cur gẽmis exornentur.*

stu-

ſtupendos nonnunquam effectus præſtare: quemadmodum clarius & rationabilius in diſcurſibus dicemus, quos de harum qualibet deinceps, ſuo loco habebimus.

## SCHOLIA.

*Gemmarum nutricem omnium maximè Indiam eſſe, vno ore veteres affirmant, quod nemo ſuffragante nunc frequente iſthinc aduectura diffitetur. Multis modis inueniuntur, vel ſua ſponte nudæ, vel ex arenis locis eruuntur: vel è montibus effodiuntur: quædam è profundo maris euomuntur: quædam in corporibus auium & reptilium ſæpius procreantur. Ornant potiſſimum Regum atq; illuſtrium virorum pariter ac fœminarum, capita, pectora & digitos. Noſtra inſuper ſuperſtitio, Diuorum monumentis, eorundemq; imaginibus apponere quoque voluit: atq; opulenti aliquot neutiquam nobilitati cedentes, magnam huic ornamento pecuniam impendunt. Harum in Antidotis vſum antiquis fuiſſe Manardus, & cum eo plures denegant. Sed diuerſum ego ſentio (vt cum bona ſua ſuorumque ſequacium venia dixerim) ſiquidem Dioſcorides, Galenus, Paulus, & plerique alii celebratiſſimi nominis Medici, eas potas, ſcorpionum ictibus opitulari ſcribunt, proinde ac inteſtinis exulceratis, multisq; aliis corporum malis, multorumq; generum venenis. Serapio libr. de mineralibus capite 384. Auerroës 5. Collig. & Auen-*

Gemmæ quot modis inueniantur.

Vtrũ Antiqui gemmis in Antidotis fuerint vſi.

*zoar. cap. de dysenteria & tota adeò Arabum cohors, ad similes effectus vsurpat.*

Qui præ cunctis creaturis ] *Quanquam gemma ferè nulla sit, quæ vim admirabilem aliquam non habeat, maiores tamen gemmis vires quam animalibus aut plantis, inesse quis dixerit? Etenim anima nihil est præstantius, vt in lib. 1. de anima scripsit Philosophus.*

Autoris error.

Super duodecim lapides pretiosos ] *Non rectè Ecclesia super Apostolos fundata ab Autore statuitur, sed super ipsum Saluatorem qui est lapis angularis. Pessimè autem lapis abundans Christum repræsentare dicitur, à quo nostra omnia dependent, cuius nuncii fuerunt Apostoli, serui per se inhabiles, sed ab Omnipotente, ex rudissimis ita instructi, vt omnes, omnium gentium religiones, seu superstitiones potius destruerent gladio oris sui. Quæ sane vis, non ipsis Apostolis, sed Saluatori vnice asscribenda est. Cum ergo ciuitas hæc, tam magnificè extructa sit: & tam pretiosis lapillis ornata, vnusquisq; studere debet, vt prauos suos mores, ad rectitudinis lineam huius ciuitatis tam speciosæ desyderio, corrigat, & ad vitæ purioris splendorem se præparet, diligenter perpendendo, quanta munditie pollere debeant, ciuitatem tantis ornatam miraculus ingredi cupientes, cum nihil coinquinatum, vt palam D. Ioannes ipse asserit, in illam recipiendum sit.*

Hinc antiqua & laudabilis ] *Quoniam gem-*

*gemmæ intuentium animos summopere alliciunt, has gestaturis expedit, vt earum virtutes animo suo exprimere atq; imitari studeant, ne vnde corpus, quod corrumpitur, ornatum aucupatur, inde maius dispendium animus, cœlestibus natus incurrat, & ne nimium lapillorum fulgetris addictus, lapideus etiam ipse animus euadat, ac proinde à sua conditione decidat: nec ab ijs honoris subsidium quærat, quibus ipse opinionem honoris elargitur. Hac ratione agnoscant Imperatores & Reges, & quicunq; horum gestiunt adiacenti luce gloriosiores apparere, vt earundem vires ad animi vegetationem transferant, vt in Sapphyro sit castitas & cœlestium amor, in Carbunculo ingens charitas, in Adamante iustitiæ constantia: in Smaragdo facilis humanitas, & in cæteris simile aliquid, quod menti virtutem tribuat, ne quiddam simiaticum referant, h. e. ne sicut simia in purpura fastū quendam ostentent, & se ridendos præbeāt.*

De gēmarum præstantia.

Summorum Philosophorum ] *In gemmis tanquā in arctum coacta rerum maiestas, insigni præstantia notatur. Excellens quidem naturæ opus nec exiguum miraculum, si earum natura & vis spectetur, materiæ temperamētum, & quædam lucis cum elementari crassitie, copulatio, eoq; præcellētius iudicādū quo durabilius. Et si in tam paruo corpore, forma cum virib. diligenter consideretur, res tam admiranda iudicabitur, vt ipsa natura, totā vim suam, in earum opificium collegisse ac*

*effudisse videntur. Maxime etiam facit ad illarum dignitatem & præcellentiam præ cæteris rebus æstimandam, quod valor quarundam & pretium, omnem taxationem & æstimationem hominum excesserit. Nec vano hominum rumore, aut incerta philosophantium opinione nos deceptos esse putandum, cum Scripturæ sacræ probatissima autoritas, & diuinorum oraculorum maiestas suffragetur. In Biblijs, varijs in locis, præclara fit gemmarum mentio; Genes. 2. Onychis: Iob. 28. Sardonychis, Sapphyri & Topazij Indiæ, & Æthiopiæ: Esai. 54. Margaritarum, Sapphyrorum, Iaspidum, Carbunculorum. Apoca. 21. Iaspidis, Sapphyri, Calcedonii, Smaragdi, Sardonychis, Sardij, Chrysolithi, Berylli, Topatij, Chrysoprasii, Hiacynthi, Amethysti, & Margaritarum. Id autem facit S. Ioannes, dum ciuitatis sanctæ Hierusalem, de cœlo descendentis, ac Dei claritate illustris, structuram, & magnificentiam admirandam describit. Nec cœli, beatorum domicilii, muros per gemmas, diuinus vates designasset, nisi vires admirandas, & singularem haberent præstantiam: quia cælestem mansionem, omni æstimatione maiorem gemmarum collatione ostendere voluit.*

DIS-

## *Diſcurſus breuis de gemmarum origine, & qua ratione per virtutem cœleſtem, mirabilium operationum autores ſint.*

### Cap. II.

Gemmarvm cognitio, & vtilis & neceſſaria eſſe videtur, magnis præſertim Principibus & Prælatis; non ſolum quod præcipua ipſorum ornamenta exiſtant, verùm etiam, quod aliâs fieri poteſt, vt gemma aliqua, pretioſi lapidis nomine, ipſis dono offeratur, quæ adulterina tamen ſit. Nec minus ſtudioſis neceſſaria eſt, tum quò ſacræ Scripturæ ſenſum melius aſſequantur, in qua ſub figuris altiſſimis, frequenter gemmarum fit mentio: tum quia ad intelligendos alios Scriptores, notitiam harum aliquam habere conuenit, qui interdum ſub gemmarum nomine, allegorias notabiles, & alia myſteria comprehendere voluerunt. Quò igitur notitiam hanc melius aſſequamur, & ſanctorum Doctorum interpretationes ſupradictarum gemmarum exactius percipiamus, ea facilitate & breuitate, qua fieri poterit, primum de ortu ipſarum naturali, phyſicis innixi principiis, diſcurremus, vnde plures virtutes mirabiles ipſis attributas, ex funda-

*Gemmarum cognitio cur Principibus & Prælatis ſit neceſſaria.*

*Theologiæ ſtudioſis cur gemmarum cognitio ſit neceſſaria.*

mento rationum, quæ non mediocrem lucem afferent, particulariter cognoſcemus.

*Antiquorum opin. de gemmarum origine.* Relicta itaque antiquorum quorundam opinione, ſtatuentium, omnibus rebus creatis, præcipuè vero gemmis pretioſis, ſpeciem quandam animę inſitam eſſe, à qua ſpeciales, adeoq; ferè diuinas functiones prodire exiſtimarunt. Pręteribimus quoq; nõ minus Alexandri opinionem, ſtatuentis, formarum cunctarum operationũ ſiue iam bonæ, ſiue malæ illę ſint, à temperamento naſci, quod ex elementis inuicem mixtis, reſultet. *Alex. Aph. opinio.* Quæ tolerari quidem poſſet, niſi ſimul animam quoq; comprehẽdiſſet, cui complexio inſeruiat ceu inſtrumentum, nec operationũ principium exiſtat. Neceſſe igitur eſt, vt origo prima rerum gemmarumq; præcipuè, ab altiori procedat principio. *Mercurii Triſmeg. opinio.* Ideò Mercurius Triſmegiſtus, cum quo Plato conſentit, & vniuerſus quaſi ſapientum chorus conuenit, certi quid determinarunt; à cœlo ſtellisq; , vniuerſo mundo & omnibus eius partibus, communem quandam virtutem & ſpiritum viuificantem infuſum fuiſſe, quam nõ nulli animam mundi, aut, vt melius dicam, mentem diuinam nuncuparunt, quæ in materia rerum omnium (quæ perpetuo, potentia ſua naturali, noua forma veſtiri appetit) potentiam illam ſemper ita

diſpo-

diſponat, vt materiam quantumuis vilem ac putridam, benè tamen diſpoſitam, in actum perfectiſſimæ etiam formæ reducat. Hinc quis eſt qui non admiretur generationem quarundam vermium & muſcarum, quæ tempore veris florib. inſident, qua ratione in putrido incremento, potentia illa à cœlo infuſa, excitetur, vnde ſpecies illius animalculi reſultet, quod ſplendore ſuo cum pulcherrimo Smaragdo purpura & gemmis comparari poſſit? Quin potius hoc & infinita alia ſimilia exempla, argumētum certiſſimum exiſtunt, cuiusq; benè ſentientis iudicio, quod, ſi virtus cœleſtis ex putrefactione, tam perfectas & pulchras res producit, longe nobiliores & admiratione digniores effectus, ex purioribus & nobiliorib. materiis, in terræ viſceribus contentis, excitare poſſit: quo loco ſolares radii, totusq; cœli ſtellarumq; ambitus coniungantur, & quaſi in centro & puncto, maiori efficacia vniantur: Vnde potentias materiales excitant, ad generationem rerum perfectiſſimarum, auri, gemmarumque cœleſtis formæ, & proinde virtutum mirabilium. Quæ ſi quis negaret, ſubuerteret etiam opera præclariora, quæ in omnibus creaturis luculenter apparent. Exemplo eſt terra, quæ in media mundi ſede, ſolida locata, & vndique in ſeſe, nuti-

*Vis & potentia admirabilis cœli & ſtellarū.*

bus ſuis conglobata, ſuſtentetur tamen à vi & lumine cœleſti, mediantibus, quibus, ceu ſuſpenſa, circumcirca fortiſſimis cardinibus, firmiſſimè ſuſtinetur, & virtutem ſimul omnes res producendi, accipit. Nulla itaque alia cauſa generationis rerum ſimilium nobilium & gemmarum inueſtigari debet, niſi quod pro diuerſo cœli aſpectu & poſitu variæ quoque abſque dubio inſint illis virtutes, quę ex effectibus poſtea, ſupernaturales cognoſcuntur. Hinc alia quoq; concluſio Aſtronomis neceſſaria declaratur: quãlibet ſtellarum inſtrumenti loco ab omnipotente manu & virtute Dei ordinatarum, particularem aliquam virtutem, rebus creatis, potiſſimum verò gemmis communicare, quæ prout diuerſæ & infinitę exiſtunt: ita infinitas ſpecies & virtutes ipſarum producũt. Id quod multorum autoritate confirmare poſſem. ex cæteris tamen, Dantis Aligeri, Poëtæ Tuſci diuinum dictum, adducere ſufficiet, qui in poëmate doctiſſimo, quod Paradiſum inſcripſit, ſic incipit: Cœlum, quod tot lumina pulcherrimè exornant, à mente profunda, quæ ipſum mouet, imaginem accipit, diuerſasque virtutes rebus imprimit, prout diuerſa ſeſe obtulerit conſtellatio. Exemplo Magnetis id manifeſtum fiet, ſi inquiramus rationem, cur ferrum attrahat. Li-

*Vera cauſa generationis & virium gẽmarum.*

*Dantis Poëtæ dictũ.*

*Magnes quomodo*

Licet humana ſapientia penetret quantum poteſt, dicunt, quod hanc virtutẽ acceperit à Luna & Venere, quæ ambæ lucentes inueniuntur in cauda Vrſæ minoris in gradu 29. Virginis. Et vt infinitas alias influentias prætercam, eandem rationem ſupradicti ſancti Autores adducunt de Sapphyro, dum rationem reddunt tot virtutum diuinarum ipſi inſitarum, quod inclinet hominem ad pacem, ad amorem Dei, ad charitatem, eos adiuuet per virtutem ipſi à Ioue infuſam: quod virtus Veneris inſit Smaragdo: virtus Martis Adamanti, ad efficiendum homines conſtantiſſimos. Quod ſplendor Solis inſit auro: Lunæque Margaritis, qui tam euidens ſit, vt variante Luna, ipſæ quoque varient & creſcant vel decreſcant. Quæ enim deficiente Luna creantur, paruæ & exiles euadunt; quæ verò Luna creſcente generantur, ſplendidiſſimæ & magnæ efficiuntur. In aëre pariter tenebroſo, aut tonitruis & fulgure coruſcante, Margaritæ quoque turbidæ & nebuloſæ fiunt. Quæ omnia cognitu digniſſima ſunt, illis præcipuè, qui gemmarum naturam plenius cognoſcere cupiunt: quę cum perfectiſſimæ ſint, laudem eam meruerunt, vt cum ſtellis collatæ, ſubſtantiam puriſſimam, vniformem, ęqualem, clariſſimam, & mediocris magnitudinis abſque vllo vitio obtinuerint.

*ferrum at trahat.*

 Quod

*Causa defectuum & vitioru in gēmis.*

Quod vero nonnullæ gemmæ varios defectus in se contineant, qui in omni lapidum pretiosorum genere, plus minusq; apparent, & de eorum pretio, nonnihil quoque demunt: quales sunt nebulæ, sal, fissura, granum, pilus, vel aliæ maculæ, in illis contentæ, huius rei causa in impuritatem materiæ referenda est. Quemadmodum enim ipsarum perfectio, ex materia gemmarum purissima, vniformi optimeq; digesta nascitur: ita vicissim quodlibet vitium, omnisq; defectus, ex indispositione materiæ difformis impuræq; ortum habet. Potest etiam fieri, vt multum ad imperfectionem faciat, aliarum stellarum contrariarum oppositio, prout de Adamante aptè dicemus, qui ( mirum dictu ) Magneti appositus ipsum virtute sua priuat, adeò, vt ferrum amplius attrahere nequeat, sed ipse à ferro trahatur. Eiusmodi differentię, alterationib. etiam quotidianis elementorum asscribi possunt, ratione quarum hæ materiæ rerũ generãdarum varient, & plus vel minus ad impressiones cœli stellarumque recipiendas, habiles sint. Præsuppositis igitur his informationibus generalibus, qua ratione gemmæ scilicet à cœlo stellisque originem ducant, earumque virtutes multiplices originem habeant, & quomodo pariter pro dispositione materiæ, formam perfectam aut im-

imperfectam accipiant, multò clarius proprietates propositas gemmarum dictarum aliarumq; considerare poterimus. Propterea S. Epiphanii ordinem sequendo, hîc principium faciemus.

## Scholia.

Facilè fieri potest] *Nam in quibusdam gemmarum generibus veras à falsis discernere, difficilimum est. Sæpè enim illæ quæ sunt falsæ & sophisticæ, veris videntur esse simillimæ, ita vt vix possint veræ à Sophisticis deprehendi: quia quidam pro Smaragdo vitrum arte inficiunt, & fallit oculos subdola quædam viriditatis similitudo. Sine fraude enim nulla mortalium est vita.*

Relicta itaq; Antiquorum quorundam opinione] *Operationes gēmarum à forma ipsarum prodire certum est. Vtrum a. hæc forma sit etiam anima, controuersia maxima est. Democr. & quidam alii ex veterib. vt refert Alb. Mag. existimabat tum omnia mixta ex anima componi, tum consequenter speciatim lapides & metalla. Quam opin. iam diu intermortuam ab inferis, vt multas alias, iam penitus obsoletas, reuocat Hieron. Card. reuocatamque pluribus argumentis confirmauit. In contraria sententia sunt cæteri Autores omnes, tū veteres tū recentiores. Quæ vt communior est, ita mihi etiā à vero minus abesse videtur. Dico itaq; in metallis & lapidibus, nec animam nec vitam in-*

Vtrum gēmæ & lapides viuāt.

*inesse. Mecum facit Aristoteles in libro 1. magnorum moralium, cap. 5. Ita enim loquitur,* τοὺς λίθους ὁρῶμεν ἀδυνάτους τρέφεσθαι ὄντας. *Ex eoque concludit, nutritionem non nisi animatis competere, & solam animam illius causam esse. Nec lapides, nec metalla propriè nutriuntur. Quod enim nutritur, alimentum intrò suscipit, introque susceptum alterat & immutat, vt in locum partium substantiæ deperditarum succedat. Neque hoc satis est. Requiritur præterea, vt quod nutritione reparatur, pars sit, quæ non est vnum per se perfectũ, sed quæ in priorem composito vnũ per se perfectum constituit. Denique requiritur, vt omnes partes illius vnius per se præexistentis, nutriantur, hoc est, omnibus aliquid adijciatur. Iam hæc in lapides & metalla minimè competunt: igitur propriè non nutriuntur, sed per additamenta tantùm crescunt, quatenus extrinsecus pars parti apponitur. Si quis autem idcirco viuere putet, næ ille non solùm lapides & metalla, sed barbam etiam, pilos, vngues, & his multò plura viuere, dicere cogetur. Et lapides excisi aut nullo modo reparantur, aut si reparantur, id eo modo fieri, quo ramusculi plantarum, aut cancrorum chelæ, lacertorumque caudæ restituuntur semel abscissæ, non est incredibile, quandoquidem eatenus tantùm reparantur lapides, quatenus rursus apposito vapore & exhalatione adaugentur lapicidinæ, à quibus priores excisi fuerunt. At venas habent, inquit*

Car-

*Cardanus, & poros intus. Esto (non est enim verum) sed non sunt eo ministerio, quo in viuentibus. Neq; enim per illa alimentum in interna recipitur, neq; inde per eadem in omnes partes transmissum vi quadam insita in naturam ipsarum transit. Hoc est officium venarum. At tractus, lineæ, vestigia, interualla, aut quocunq; tandem nomine appellare placet, id quod in metallo & lapide venis simile aliquando cernitur, ad hunc finem instituta non sunt, sed cum per additamenta grandescere certum sit, hinc est, quod in aliquibus partibus, certis interuallis, tanquam venulis quibusdam, dißitæ & distinctæ videantur. Pori enim per se, neq; in metallo, neq; in lapide sunt, quia propriè non nutriuntur, neq; indigent expulsione materiæ inutilis & superfluæ, qua de causa sola, pori in vita & anima præditis necessarii sunt. Per accidens tamen poros, hoc est, foramina quædam intercepta inter alias partes substantiæ, in non viuentibus esse, nihil impedit: quin imò sæpè necesse est. Nam agens plerunq; non est tam efficax, vt poßit actione sua æquè omnes partes materiæ disponere, quãtum satis est ad formam mixti: hoc autem cum sit, necessarium omnino est hinc inde particulas quasdam materiæ aliis interiectas relinqui absq; forma mixti: ex consequenti etiam necesse est, foramina quædam relinqui, in quibus istiusmodi materiæ partes relictæ, vel, si illæ expellantur, aër, aut aliquid simile recipiatur. Ceterum ex his, siue poris siue*

Pori animatis corporibus cur insint.

*siue foraminibus, concludi minime potest, in lapide aut metallo, vitam esse: quia non sunt in illis per se. Sic enim essent in omnibus. Sunt ergo in illis, vt dixi, per accidens ratione agentis, quod accidit esse debilius vel fortius in materia disponenda. Atqui ex ijs quæ per accidens rebus conueniunt, minimè colligere licet, ea, quæ illis per se inesse debent: qualis est anima & vita metalli, ex sententia quidem aduersariorum. Etiam radices, cortices, rami, frõdes, & si quæ sunt ijs similia, non sunt in istis, vt in ijs quæ communi sensu & consensu viuere dicimus. Aut n. omninò non sunt, aut si sunt, non aliter in istis reperiuntur, quam figura & membra Cæsaris in marmore, in quo Cæsaris imago sculpta est. An tu igitur viuere credas? Certe sic vitam Cæsaris in marmore, vitam hominum aut draconum in nubibus, in quib. huiusmodi idola conspecta sunt, ponere necesse est. Neq; vllus lapis, aut fame, aut senio mortuus est. Quî n. moriatur, quod vitam nunquam habuit? Ergo si lapis Herculeus vetustate vires trahendi amisit, non idcirco senuit. Amisit nāq; quia ab aëre vitiatus est. Quæ causa est, cur postquam extimæ partes trahere ferrum desierunt, adhuc in interiorib. vis eadē incolumis resideat, & ne omninò lædatur, in scobem ferri abdi soleat. Non igitur senuit, nec fame periit: Aut dicam pomum, cum ob vetustatem olere desiit, senio mortuum, aut ignem, quem cinis ab interitu vindicauit, viuere. Plumbum etiam cum mutatur in cerussam, non* id-

Cur Magnes scobe ferri tegi soleat.

*idcirco grauius factum est, quia vitam amisit: sed quia minus aëris & plus densitatis habet post illam conuersionem, quam ante. Neque viuorum omnium corpora post mortem grauiora sunt quam erant in vita: neq; quæ grauiora sunt, idcircò præcisè grauiora facta sunt, quia vitam amiserunt; sed potius quia spiritus vitales, qui erant leuiores, exspirarunt, & partes aliæ, quas calor vitalis leuiores effecerat, exhalato calore, ad grauitatem naturalem, & sibi insitam redierunt.*

Cadauera cur viuentibus sint grauiora.

Ideò Mercurius Trismegistus ] *Hermes Trismegistus cœlum gemmis occultas proprietates transfundere perhibet, è quo gignendorum seu producendorum omnium facultates, tam singulares, quam vulgares, in hæc inferiora transmitti, non dubitauit asserere duplici modo: Aut videlicet notabiliter, & ex amussi, quoties materia in quam cœlum vim suam exercet, eius orbis ac luminis, quandam speciem seu cognationem refert, ad quam sc. quò propiùs accesserit gignendus lapillus, in hunc fœlicius ac abundantius, propter materiæ symmetriam, connexionem atq; consensum, cœlum fuisse operatum, intelligatur. Sed & ideò multas admiratione dignas gemmis esse proprietates inditas asserit, quod lumine & perspicuitate cœlo quadam tenus potentiores demonstratæ, eius actionē perfectius admiserunt conceperuntq;: Vnde sc. tandem hominis spiritus affecti specificis pa-*

Gemmarū admirandæ virtutes vnde prodeant.

*pateant gemmarum proprietatibus. Qua ratione Topatium, Carbunculum, Adamantem, occultis gratiarum proprietatibus præditos esse, confirmant viri non pauci, nec incelebres, vt non deuoratis tantùm, sed etiam gestatis, suas ædere liceat cælicas potentias, primum quidem in hominis spiritus, demum in humores & solidiores eius partes, quib. à peste & venenis defendant. Sed enim à cælo hoc ipsum quicquid recondita vi possunt, gemmas accepisse vel hoc argumento confirmant, quod magnos parua mole, mirificosq; promant effectus. Nulli namque elemento concessum volunt paruo corpore plurimùm subitò præstare, vti nec ignem pusillum vnico impetu lignorum congeriem vrere, vel aquæ pauxillum, terræ plurimum perfundere. Quæ verò cælica vi nituntur, ex haud multa materia, admiratione etiamnum dignas suas functiones absoluunt: nimirum quod contrariis aduersantibusq; causis non agunt, & à validißima cælesti potentia in actionem extimulantur. Quomodo Corallium, Carchedonius, Chrysolithusq; gemmæ, ab Ioue præsertim ac Venere id sunt adeptæ virtutis, quo ab atræ bilis melancholiæue symptomatis, vel ferentem asserere valeant. Neque hoc absurdum esse, cum præsertim similes potestates in obscurioris substantiæ herbas insinuare, palam sit creditum. Vnde manifestum esse puto, quod & Philosophis diligenter probatum receptumq; inuenio, quod rebus supernis vis quædam insita est vehemens,*

*bemens, quæ maxima ex parte cum inferioribus conuenit: indeque sympathia quædam, & ceu consensus emergit, quo animantium motus tacitique concentus cœlicis corporibus (in rebus, quæ stata natura fiunt) concordare videntur.*

Hinc quis est ] *Profecto animalia ex putrescente cadauere genita, à calore eiusdem putrescentis cadaueris, vt ab effectrice causa originem ducunt. Is enim est qui materiam disponit, formamq; substantialem ex materia traducit; non quidem vi propria (siquidem accidens, vi propria substantiam, & quidem viuentem, efficere minimè potest) sed virtute corporis cœlestis. Sicut enim calor in animalibus existens virtute animæ nutrit, & ex alimento, substantiam gignit, vt carnem, & ossa; & calor in semine, virtute generantis à quo semen promanat, viuens corpus efformat, animamque, vtpote vegetalem & sentientem, ex semine traducit: ita calor mixti putrescentis, virtute corporis cœlestis viuentem substantiam producit. Nam vt docuit Aristot. 1. Meteor. contex. 1. oportet mundum hunc inferiorem superioribus lationibus esse contiguum, vt omnis virtus huius inde gubernetur. Prout itaque virtus caloris mixti putrescentis, à cœlesti calore dirigitur & moderatur, viuentis substantiæ gradum attingere potest, & illam producere, quod viribus propriis efficere nunquam potest. Non secus calor Solis in circumstante aëre diffusus, & tota virtute corporis cœlestis, ex cœno-*

*sa terra, animalia producit. Sed differentia nobilioris ignobiliorisq; generis constituendi, in comprehensione principij animalis est, hoc est, caloris qui animalis appellatur, quatenus animam producit, vitamque largitur, in diuersa materia putrescente, ex cuius discrimine & diuersitate, varius efficitur calor, qui diuersa producit animalia, nobiliora & ignobiliora. Itaque ex diuersitate materiæ putrescentis, diuersus & particularis efficitur calor, qui diuersorum animantium autor & causa existit.*

Diuersi rerum effectus vnde depēdeāt.

Pro diuerso cœli aspectu] *Diuersi in rebus effectus Francisco Rueo autore, non solum à materiæ varia alteratione seu præparatione, sed à diuerso cœli afflatu pendent, maximè à discriminatis formis: discrimine, inquam, non solum speciem consequente, sed & cuiuis indiuiduo proprio: Tametsi materiæ apparatum rebus gignendis ac perficiendis non obscuri esse momenti certum sit. Qua ratione videre est, indiuidua eiusdem etiā speciei, alia aliis etiam esse clariora, vel viribus ignobiliora, pro videlicet symmetria, puritate vel confusione eorum substantiæ. Nemini namq; rerum naturalium gnaro, dubium esse suspicor, cœlestes influxus impediri posse, vel omnino minui propter ineptitudinem materierū, in quas suas exercent potentias. Cui pulchrè id Platonicum astipulatur: Secundum merita materiæ, infunduntur virtutes cœlestes.*

Quę ex effectibus] *Reconditarum facultatum caussæ humano sensu nequeunt comprehendi, sed frequenti experimēto ipsarū potestas cognoscitur.*

Exemplo Magnetis id manifestum fiet] *Effectus lapidum duorum generum sunt. Alii sunt ordinarii, qui in omnib. lapidibus cernuntur: cuiusmodi sunt operationes frigoris & aliarum primarum qualitatum: item accidentia consequentia cōmixtionem primarum qualitatū, vt durities, grauitas, dēsitas, color, sapor &c. de quib. Arist. 4. Met. tractat. Ac de his quod à cōplexione cuiusq; propria oriātur, inter omnes iam cōuenit. Alii sunt effectus extraordinarij, rari, & singulares, qui nō in omnibus: sed in paucis tantum obseruantur. Cuiusmodi sunt, sistere sanguinem, abigere fulmen, tutū reddere à peste & morbis, conciliare somnum, diuitias, autoritatē, mouere somnium, præbere diuinationem, augere ingenium & memoriā, præstare sapientiam, audaciam, castitatem, ignauiam, fascinare, rerum species immutare, & alii quam plurimi, qui apud Cardanum, Albert. Magn. Franciscum Rueum, & alios paßim leguntur. De his quæstio est, an veram causam aliquam habeant, an vero nullam? Et, si causam habeant, quæ, & quidnam illa sit? Si vero nullam habeant, cur lapidibus attribuantur? Scripserunt autem hac de re autores, prout cuiq; libitum fuit: Itaque alii negarunt prorsus, hæc à lapide effici. Contrà alij clarißimis experientiis conuicti (quidnam enim*

Effectus lapidum eorumq; differentiæ.

*clarius est, quam à Magnete ferrum trahi, à succino paleas?) communi consensu causam horum aliquam in lapide statuerunt. Quid autem illa sit, nondum consentiunt, cum alii complexionem, alii formam substantialem, alij occultam quandam proprietatem à Deo vel cœlis impressam, tanquam causam prætendant. Nos vt breuiores simus, breuiter ita dicimus. Multa à multis falsò asscribuntur lapidibus, quæ nec habent, nec habere possunt. Huiusmodi ferè sunt, quæ ad diuinationem, & fascinationem, vnius rei in alteram permutationem pertinent, & omnes omninò effectus spirituales, aut qui alioqui vires causarum naturalium nimiùm excedere, communiter iudicantur. Hæc siquidem, nec ab omnibus nec à plerisq; probatis & doctis viris, lapidibus tribuuntur; nec etiam vi vlla pura naturali effici posse videntur, vtpote, quæ nullam cum lapidibus affinitatem habeant, qualis alioqui effectûs, cum causis, quarum virtute producta sunt, intercedere solet. Cæterorum effectuum, qui communi iudicio lapidibus tribuuntur, ac tribui possunt, licet cum admiratione eueniant, causa non potest esse complexio, hoc est, certa & peculiaris, 4. primarum qualitatum contemperatio ac proportio. Nam inter causam & effectum debet aliqua esse similitudo & proportio, vt patet ex communi axiomate, quo dicimus in causa contineri effectus perfectionem: Sed inter complexionem huiusmodi & effectum, nulla est*

*affi-*

*affinitas, nulla proportio: quia isti effectus non continentur eodem genere, quo illi, qui ordinariè complexioni debentur, cum longe sint perfectiores, vel etiam contrarii: & complexio suis effectibus propriis nequidquam iuuare videatur ad huiusmodi effectus. Quid enim ad consistentiam sanguinis, aut ad trahendum ferrum faciat, vel calefactio, vel frigefactio, aut grauitas, durities, & cætera? Ergo istorum causa non est complexio. Causa igitur effectuum admirabilium, est proprietas occulta.*

Causa effectuum admirabilium in gẽmis.

*Censentur enim communi iudicio lapidum effectus, & tamen causam apertam non habent, vt iam ostensum est; ergo habent occultam. Nobiscum faciunt etiam doctißimi & grauißimi autores, qui etiam in multis rebus aliis virtutes quasdam occultas omnino necessarias esse statuerunt, licet inter se non conueniant, quid vis illa occulta lapidum sit.*

Virtus occulta lapidum quid.

*Postremo virtus occulta lapidũ, nõ est ipsa forma substantialis, nec est proprietas immediatè formam consequens: sed est accidens quoddam lapidibus inditum ex diuino aut cœlorum influxu. Primum inde patet, quia virtutes remittuntur & intenduntur: item plures sunt in eodem, & inter se diuersæ. Exemplum est in Magnete, qui ex vna parte trahit, ex altera repellit ferrum: item, cuius virtus temporis progressu minuitur. Nihil autem simile in formas aut proprietates forma-*

*rum accommodari poteſt. Alterum etiam clarum eſt, quia in pluribus conſtituendis, præcipuè lapidibus, principis inſtrumenti locum etiam habet qualitas quædam occulta, à calore & frigore, cæteriſque primis qualitatibus diſtincta. Declarant id effectus admirabiles, & præterea Cardanus, Albertus & alij commemorant. Hi enim effectus & ſimiles ex ſententia omnium, oriuntur ex complexione immediatè, & tamen non poſſunt immediate reuocari ad qualitates primas: quandoquidem non habent eam ſimilitudinem cum illis, quæ alioqui debet eſſe inter effectum & cauſam. Debet ergo in complexione contineri alia qualitas, alioqui occulta & nota tantum ex his effectibus. Hæc autem qualitas non potuit effici ab aliqua alia primarum, propter rationem iam dictam. Ergo producta eſt ab aliqua alia, item occulta: Quocirca in pluribus lapidibus efficiendis, neceſſe omnino eſt qualitas occulta, quæ ſit tanquam inſtrumentum principale, quo agens principale lapides tales produxit. Virtus igitur, quam impreſſit, erit accidens quoddam, quod immediatum ſit principium huiuſmodi effectuum.*

Gemmarũ vitia quæ.

Quod vero nonnullæ gemmæ ] *Gemmæ, potiſsimum perſpicuæ, variis vitiis infeſtantur: quorum quædam ſunt coloris, ſicut fumus, vmbra, nubecula. Quædam corporis, vt ſcabricia, capillamentum, ſal, punctum, ſcobes, plumbago, ferrugo, rubigo, occulta vomica.*

*Vt*

*Vt vero cæruleus cœli color turbatur, cum obducitur nube, vel atra, vel candida, vel maculosa: ita proprius gemmæ, cum aut fumo, vmbraue obscuratur, aut nubecula vel candida albicat, vel maculosa fœdatur.*

*Fumo autem inficiuntur, non translucentes, æquè ac perspicuæ. Vt enim Chrysolithus quæ translucet, fumida esse solet; ita etiam Iaspiscum non translucet: quare Capnias à Græcis vocatur. Vmbra vero & nubecula, perspicuis tantum intercurrunt. Illa est perspicui coloris, hæc candidi aut maculosi. Fit quidem vmbra, propter succi partem aliquam obscurioris coloris, quā reliquus ille præcellens gemmæ sit color, qualis tandem fuerit. Nubecula vero accidit propter partem albidioris coloris. Color insuper cuiuis gemmæ pretiosæ alienus, ei vitio datur. At scabritia est quædam partium inæqualitas, quæ fit ob succi diuersitatem ratione cuius partes gemmæ, inæqualiter concreuerunt. capillamentum rimæ simile est, quo Sapphyrus inprimis vitiatur. Salem, micas candidas, ob similitudinem appellant, quo vitiatur Opalus & Crystallus. Punctum alieni coloris. Attamen puncta, quæ & guttæ, & stellæ vocantur, gemmis vitio non vertimus. Nam laudantur aureæ Sapphyri puncta, quibus collucet, (quanquam Autor inter lapidis LaZuli species potius hanc referendam esse censeat.) Laudantur aureæ guttæ quæ intus in Sandastro fulgent. At scobes nec ipsa est alie-*

Vmbra in gemmis vnde fiat.

Nubeculæ causa.

Scabritia quid, & eius causæ.

Sal quid.

*ni coloris. Sic Chryſolithi, maximè Arabicæ, Plinio teſte, interdum ſcobe ſua refertæ ſunt: Sed ea cum condida fuerit, differt à ſale, quod magis ſit minuta. Ferrugo autem eſt ferruginei coloris: rubigo rubri: plumbago, plumbei. Plinius tamen Atticis Smaragdis ſcribit, frequentem eſſe plumbaginem quod plumbei videantur in ſole. Quæ omnia prorſus alieni coloris ſunt ab eo qui gemmis eſt proprius, oriunturq́ ex ſucci parte non concolore. Nec plura varietas colorum cuiusq́ gemmæ, ſiue laudi, ſiue vitio ipſi data ſit, à ſuccorum oritur mixtione. Occultam vomicam nominant partem gemmæ interiorem ita fœdam, vt purè manare videatur. Vitia corporis, ſi fuerint in ſuperficie, litura occultari, aut ſcalptura detrahi poſſunt. Quare gemmæ talibus vitiis obnoxiæ non ſcalpuntur, ne magis detegantur, vt: ſi in Sapphyri aut Cyani corpore inerit cryſtallinum punctum, quod Græci κένтρον vocant, inutilis eſt ſcalpturæ: attamen Berylli perforantur, vt medulla candoris exempta, gratiores fiant: additoque auro inquit Plinius, repercuſſa, aut omnino caſtigata, cauſa perſpicuitatis ad craſſitudinem.*

Vomica occulta quæ.

Quales ſunt nebulæ ] *Omnes non translucidas gēmas* cœcas *ſolemus appellare eo quod denſitate ſui obſcurentur. Sed ſæpè falluntur ſic iudicātes, quia plus virtutis ſæpè latet in paruulo Adamante ferrugineo & obſcuro, quam in Sardio lucidiſſimo vel Beryllo.*

DE

## *DE SARDIO.*

### CAP. III.

AD quælibet gemmarum genera perfectius cognoſcenda multum refert, ad nominum & vocabulorum originem reſpicere, quæ licet pro linguarum ratione varient, vt plurimum tamen in lingua Latina idem ſignificabunt. Quemadmodum vox *gemma*, vocabulum commune eſt, idem denotans quod *Gummea*, ſignificans quamlibet lapidum ſpeciem, quæ gummi arborum ad inſtar, lucida, & transparens exiſtat, paruaq; ſit: Vnde nomen acceperunt lapilli pretioſi, qui ſi magnitudine pręſtent, Laurentio Valla teſte, *pretioſi* minime appellabuntur. Aut à patria ex qua nomen accipiet, quemadmodum e. g. primus hic lapis Sardius denominatus fuit, eò quod primum in Sardinia inſula repertus fuerit, quæ natura ſua, multa genera tincturarum & purpurarum producit. Aut *Sardius* vel *Sardinus* Plinio dicitur, ſimilitudine à Sardis ſale conditis, deſumpta, quarum colorem repræſentet: vel quod loturæ carnium ſimilis ſit, qua ratione Gemmarii illum *Carneolum* vel *Corneolum* appellant, à forma ſeu colore nomine deſumpto, eò quod rubedinem flammæ ignis referat.

*Sardius vnde nomen acceperit.*

Antiquis olim erat in magno pretio, postquam vero gemmæ magis pretiosæ inuentæ fuerunt, minus nobilis & vulgaris iudicata hæc gemma fuit. Animaduertendum hoc loco est, inter duodecim gemmas, à S. Io nominatas, Sardii loco, *Sardonychē*, positum fuisse. quod est nomen compositum, à Sardo, & Onyche, quæ sunt 2. eiusdem coloris gemmæ, & simul coeuntes, tertiam hanc speciē splendidiorem constituunt, adeo vt eædem aut similes dici possint. Sardius tamē minus splēdeat, cum palàm sit, Sardonychas trium illarum gemmarum referre colores ac substantias. Imo hæ gemmæ 5. species, maioris & minoris ratione differentes, constituunt, pro patriç diuersitate. Laudatissimus circa Sardiniam reperitur: Secundum locum obtinet is, qui circa Epyrum, nostro hoc seculo, Albaniā appellatam, & Ægyptum inuenitur. Maiorem vero laudem meretur ille, qui in Babylone Assyriorum nascitur, Epiph. id asserēte. Refert Alb. lapidem hunc gestantis animum exhilarare, timorem pellere, audaciam præstare, eumq; à veneficiis fascinationibusque, ex corruptione humorum prodeuntib. tueri.

*Sardonyx.*

*Sardij differentiæ.*

*Sardij vires.*

ANNOTATIONES.

Gemma vnde dicta.

Quemadmodum vox gemma] *Gemma sic dicta est à similitudine gemmarum, quas in vitibus siue arboribus cernimus. Gemmæ enim proprie sunt*

*int pupuli, quos primo vites emittunt.* Gēmam *ulgi more nunc appellamus lapidem omnem ni-entem, natura rarum atq; paruum. Raritate la-illi omnes litoris excluduntur. Paruitate mar-nora quæ nitent, & quorum genera quædam ra-a sunt inuentu, quæ tamen non sunt gemmæ, uia minime parua sunt, sed in vnoquoque genere, ximiæ magnitudinis quædam inueniantur. Ni-ent etiam. Nam Limacius ac Borax, parui lapilli int; non tamen gemmæ, neque nitent, aut si ni-ent, parum nitent. Quæ igitur nitent, non tamen aruæ sunt, toto genere marmora: Si aut ē squam-is constent, filices: si granulis, cotes: si non nitent, ixa dicuntur.*

Qua ratione gemmarii] *Huius species di-utior & minus rubra, vocatur* Carneolus *vel* Corneolus, *cum vero imo habet Onychem, voca-ur* Sardonyx. *Aptissima sigillis Sardius, Carneo-us & Sardonyx, ob tria, 1. quod ceram non ra-iat, 2. quod facile cæletur. Nam tenax est, & nediocris duritiei. 3. quia tardius cæteris perspi-uis humore suffuso hebetetur.*

Cur Corneolo ad sigilla vtamur.

Antiquis olim] *Sardius lapis marmore qui-dem præstat, inter gemmas vero vilissimus duci-tur: quia præter fulgorem nihil fert vtilitatis, ex-cepto, quod Onyx hoc præsente nequit nocere. Nam Onyx quasdam nocuas dicitur habere proprieta-tes, quas in præsentia Sardii, ad effectum produce-re non potest.*

Ani-

Animaduertendum hoc loco est] *Sardonyx ex duorum nominum societate vocata est. Est enim ex Onychis candore & Sardo. Constat autem triplici colore, subterius nigro, medio candido, superius igneo. Sardonyche primus Romanorum Scipio Africanus vsus est, vt tradit Demostratus, & inde Romanis hanc gemmam fuisse celeberrimam, quo factum est, vt initio Romanis multum placuerit, qui deinde Indis persuaserunt, vt ipsi quoq; ijs gauderet. Diuus Cæsar pariter ea vtebatur. Reperitur autem apud Indos & Arabes torrentibus detecta, item in Germania, ad Rhenum, Alberto Magno teste. Sardius lapis in puluerem tritus, cum vino austero potus menses & sanguinis per ora venarum profusionem sistit. Ventri deligatus, ab occulta vi partum conseruare creditur. Vim habet medendi ad tumores & vulnera ferro inflicta: liuentes dentes suo polline emendat, omnes sordes ab eis detergens.*

Sardonyx vnde dictus.

Sardii vires.

## *DE TOPAZIO.*

### CAP. IV.

TOPAZIVS nuncupatur, petra quædam pretiosa, sic scribente Plinio, à Iuba Mauritaniæ Rege, in maris rubri quadam insula, Arabiæ fœlici vicina, inuenta; quæ ex ea causa Topazii nomen postea accepit. Obseruandum est Epiphanium scribere, gem-

mam

mam hanc colore magis rubere quam Carbunculum. Qui tamen communi omnium consensu decipitur, eò quod reuera minimè rubeat: Sed potius significare voluit, eam aureo colore transfusam, mirabiliter fulgere, adeò, vt eius radii clarius, noctis quam diei tempore appareant. Duplex eius differentia est: Prior in splendore auri ad viridem colorem elegantem, porro non absimilem, declinat, quæ propterea à Theophrasto, *Prasites* aut *Prasius* dicitur: Differt tamen, quia non solum translucet, sed etiam mirabilem splendorem de se fundit. Vnde melius ab aliis *Topazius Chrysoprasius*, hoc est, aurei coloris ad blandam quandam viriditatem accedentis, appellata est. Comitatur eam altera species similitudine propior, à Plinio nuncupata Chrysolampis, quæ licet de die colorem nonnihil perdat, & ad pallidum accedat, noctu tamen accedente, igneo colore, aurum etiam superante, resplendet. Reperitur autoritate Plinii in lapicidinis alabastri, & propè Thebas Ægypti oppidum. Medetur mœstitię & aliis animi affectibus. Iniecta in aquam feruidam ipsius ebullitionem mirabiliter compescit, vsq; adeo, vt ab ea omnem bullam & calorem nocuum mox pellat: qua ratione ducti nonnulli, bilem iramq; illam mitigare asseruerunt.

*Epiphanij error.*

*Topazij differentia.*

*Topazij vires.*

AN-

## ANNOTATIONES.

*Egregia etiamnum Topazio gloria est, suo virenti genere, & cum reperta est, prælatæ omnibus. Id accidit in Arabiæ insula quæ Chitis vocatur: in qua Troglodytæ prædones cum diutius fame & tempestate pressi, herbas, radicesq; effoderent, Topazium eruerunt. Hæc Archelai est sententia.*

Troglodytæ quales populi, & vnde sic fuerint denominati.

Topazii nomen] *Topazin enim Troglodytarum lingua, significationem habet quærendi. Sunt autem Troglodytæ Æthiopes, qui ad Arabiam & mare rubrum extenduntur à subeũdis cauernis nomen habentes, ἀπὸ τῆς τρώγλης, hoc est, à specu & cauerna, quod in specubus & cauernis degant. Licet non desint, qui nomen prouinciæ à Troglodytia amne Arsinoën præterfluente, inditum esse tradant.*

Topatius Chrysoprasius] *Hanc proprium Smaragdi stratum, domum & palatium Gemmarij constituunt: Ab auri & porri succo nomen habet, quia habet colorem viridem, spissum, similem colori τοῦ πράσου, hoc est, porri. scilicet foliorum eius. Dicunt solaribus radiis suppositam, auream stellam repræsentare: quod beneficium est potius formæ & coloris, quam naturæ cuiusdam peculiaris. Hanc gemmam lux celat & prodit obscuritas. De nocte enim est ignea, de die vero aurea, in quo q. euanescens & fulgorem amittens q. aurum ex-*

pal-

*pallescit. Optima quæ aureis guttis conspergitur.*

Topatius magnitudine cæteras pretiosas præcellit] *Id qꝫ ex eo intelligitur, quod inde facta sit statua, vt Iuba scripsit, Arsinoæ, Ptolomæi Philadelphi vxori, quatuor cubitorum, sacrata in delubro, quod aureum cognominabatur. Et in Topatiū, quem Neapoli habet Hadrianus Guilhelmus hæc literis antiquis Romanis incisa sunt.*

NATVRA DEFICIT.
FORTVNA MVTATVR.
DEVS OMNIA CERNIT.

*Mollis est ideo sola nobilium, & vsu atteritur & limam sentit, cum cæteræ saxo & cote poliantur. Sanguinis eruptiones cohibet; idéoque vulneri admota è vestigio sanguinem compescit. Præterea nocturnos timores pellit: qua ratione phrenitidi obnoxiis amuletum efficax existit.*

Topazii vires.

*Iuxta quosdam autores supra mensam posita, ex cuiusqꝫ veneni præsentia, virorem, seu splendorem suum statim amittit, veneno vero semoto eum illico recuperat. Mirum vero quod vires pro Lunæ augmento aut decremento euariet, vt & hinc Lunaticos iuuare perhibeatur.*

DE

## DE SMARAGDO.

### CAP. V.

*lib.16.c.7.*

SMARAGDVS in voce Græca & Lat. ſecundum Iſidorum, de nominum etymologia, à nimia viriditate dicitur. Omne enim ſatis viride Smaragdum dicitur, cuius coloris pretioſiſſimi hæc gemma palmam fert, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret; tantiq; ſplendoris exiſtit, vt oculos intuentiũ perſtringat, & vbi reliquæ gemmæ ſplendente Sole pallidæ euadunt, & in tenebris conſtitutæ, nubiloſæ redduntur, incomparabilis Smaragdus aërem vicinum, circumfuſumue, ſplendore ſuo inficit, cuius naturam (ſic referente Alberto Magno) nec flamma nec vmbra quicquam immutare poſſunt. Maiore verò admiratione dignum eſt, quod qui non vſque adeò virent, vino vel oleo abluti emendantur, maiorem vigorem, & intenſiorem colorem acquirunt. Cuius Plinius duodecim genera deſcribit pro ſui puritate, & viroris conſtanti pertinacia, varietateq; regionum, in quibus naſcuntur, diſcrepantia. Nobiliſſimi ſunt Scythici ab ea gente, in qua reperiuntur, appellati. Proximam laudem habent, ſicut & ſedem, Bactriani Aſiæ, quos in commiſſuris ſaxorum colligere dicuntur, Eteſiis flantibus.

*Smaragdorum differentiæ & ſpecies.*

bus. Tertium locum Ægyptii habent, qui eruuntur circa Copton oppidum Thebaidis in collib & çautib. Reliqua genera in metallis ærariis inueniuntur, qui à Græca voce χαλκὸς, quod latinè æs dicitur, *Chalcedonij* nũcupati videntur à Carcedonio differẽtes. Mediocris valoris poſtea illi ſunt, qui in fodinis Cypri reperiuntur, & alia quædam rudis ſpecies, quam ex mineris Germaniæ accepi. Id quod mihi nõ leui argumento eſt, maiorem partem pretioſorum lapidum ratione ortus ipſorum ex fumis metallorum purioribus generari, qui ſucceſſu temporis virtute Solis & ſtellarum cooperante, in hanc vel illam gemmarum ſpeciem congelantur, pro varietate primi ſeminarii. Smaragdus Neronis quoque gemma appellatur, quem gladiatorum pugnas Smaragdo, tanquam ſpeculo ſpectaſſe aiunt. & mea quidem ſententia, vt eius aſpectu oculorum recrearet aciem, qua ratione nos quoque Cryſtallo, vitriſque viridibus, cum fructu vtimur. Collo appenſus, Hemitritæum febrem peſſimam ſanat, comitiali morbo prodeſt, laſciuiam temperat, adeò, vt Albertus Magnus aſſeuerare non dubitarit, Regi Vngariæ Belæ, cum vxore rem habenti, Smaragdum, quem annulo incluſum in digito portabat, in tres diuulſum fuiſſe partes. Acuit inſuper intellectum, ha-

*Neronis gemma.*

*Smaragdi vires.*

bilemque illum ad secreta inuenienda reddit: Sub lingua contentus, hominem eloquentem efficit, & aliarum operationum admirandarum autor est.

ANNOTATIONES.

*Smaragdus à splendendo nomen habet. Nullius coloris aspectus iucundior est. Nam herbas quoque virentes frondesq; auide spectamus: Smaragdos verò tantò libentius, quoniam nihil omnino viridius, comparatum illis viret. Præterea soli gemmarum, contuitu oculos implent, nec satiant: Quin & ab intentione alia obscurata aspectu Smaragdi recreatur acies. Sculpentibus quoq; gemmas, non alia gratior oculorum refectio est; ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. Præterea longinquo amplificantur visu, inficientes circum se repercussum aërem, non Sole mutati, non vmbra, non lucernis, semperq; sensim radiantes & visum admittentes, ad crassitudinem sui facilitate translucida: quod etiam in aquis non fit. Iidem plerunq; & concaui, vt visum colligant. Quapropter decreto hominum ijs parcitur scalpi vetitis: ne offensum decus imaginum lacunis corrumperetur, quanquam qui verus est, difficulter vulneretur. Pleraq; hæc ex Plinio huc translata sunt.*

Etesiis flantibus] *Tunc enim detecto solo facilime internitent. Nam Etesiæ plurimum arenas mouent. Id quod fit statuto & certo anni spatio, hoc est, 40. diebus post Caniculæ exortum.*

Fo-

Fodinis Cypri] *Horum dos est, nec in colore liquido, nec diluto, verum ex humido pinguiq; quaque perspiciatur, translucidum mare imitante: pariterq; translucet & nitet, hoc est, colorem expellit & aciem recipit. Ferunt in ea insula, tumulo Reguli Hermiæ iuxta Cetarias, marmoreo Leoni fuisse inditos oculos ex Smaragdis ita radiantibus etiam in gurgitem, vt territi instrumenta refugerent Thynni, diu mirantibus nouitatem piscatoribus, donec mutauere oculis gemmas.*

Smaragdorũ electio.

Id quod mihi non leui argumento est] *Existimãt Philosophi hunc ipsum lapidem in aureis mineris prouenire, eiusq; viriditatem à virtute mineræ fieri autumant. Innascitur etiam Prasio & Iaspidi quandoq; quemadmodum silici Iaspis, Carbunculus Balasio, Sardius Onychi, Crystallus marmori, & Adamas Crystallo.*

Oculorum recrearet aciem] *Qui frequenter Smaragdum inspicit, præseruat visum eius à nocumento & conseruat eum incolumem. Serpentis tamen oculos diffluere affirmant, si optimum Smaragdum diutius intueantur.*

Smaragdĩ vires.

Comitiali morbo] *Qui defert in annulo Smaragdum, præseruat illum ab epilepsia, quando induit eum in suo digito, antequam ei epilepsia superueniat. Et propter hanc causam docentur Reges, vt suspendant Smaragdos à collo filiorum, statim quando nascuntur, ne epilepsia eis superueniat. Quando suspenditur ad coxam mulieris Serapionis testimonio, partũ accelerat. Collo quoq;*

*appensus, ita vt ventrem tangat, ad iustum tempus fœtum retinere creditur.*

Lasciuiam temperat ] *Has dotes pulcherrimè explicat egregius & doctissimus vir, Georgius Agricola lib.6.de natura fossilium, fol.289.his verbis. Smaragdo motus obscenæ voluptatis valde est perniciosus. Siue enim mas siue fœmina, dum commiscent corpora, sic eum gestet, vt contingat cutem, vel à collo pendulus, vel annulo gestatus disrumpitur. At cum comitiali morbo tanquam cum hoste capitali ita pugnat, vt vel ipse vincat vim morbi minorem, vel à maiori vincatur. Illo modo manet integer & solidus, hoc, in aliquot frangitur partes.*

*Scribit Serapio, Smaragdum esse naturæ frigidæ & siccæ. Hunc in potu sumptum, conferre venenis mortiferis, & venenatis morsibus & punctionibus animalium aculeum habentium. Cuius dosin esse dicit, pondus octo granorum hordei, ita, vt limatura eius in polline deuorata, eum qui sumpsit venenum, à morte vendicet, antequam in eo impreßionem faciat. Et profecto Smaragdus est insignis Theriaca, contra omne venenum, tam per os assumptus quam extra adhibitus. Dysentericis plurimum prodest ebibitus. Cui rei inter alia, præclarißimum testimonium præbet, præclarus ille Medicus senex AuenZoar, qui potior fuit inter omnes experimentatores, vt qui diutius aliis & diligentius, in certificatione experimento-*

Smaragdi efficacia in curanda dysenteria.

rum

*rum laborauit, qui ipsius virtutes sequentibus verbis describit, dum inquit: Et excoriantur aliquando intestina, aut ab humoribus acutis mordicantibus ipsa, aut ex veneno ebibito acuto. Quod si à principio huius passionis scieueris, eam esse ex veneno certissimè, tunc dare debes infirmo, ex optimo Smaragdo, pondus 6. granorum hordei optimè trito, distemperato cum aqua ad bibendum, & videbis in opere huius, & in effectu, mirabilem rem accidere, & euenire illi qui sumpserit ipsum. Quoniam in continenti post assumptionem huius incipit habere angustiam cordis, & videtur, quod omnia eius membra eradicentur ad inuicem: Et si post hæc sudauerit infirmus dormiendo, pro constanti habeas, quod erit liberatus omnino vsque ad 10. horas, vel saltem vsque ad octo. Et expertum est, quod suspensio Smaragdi in dysenteria & in Hæmorroidibus, existit mirabilis efficaciæ & iuuamenti, si suspendatur scilicet super ventrem primum, & alius ponatur in ore, sine trituratione, & liberat incontinenti. Nostris etiam temporibus curatus fuit hoc lapide Ioannes de Mendoza princeps Hispanus, post multa alia auxilia frustra tentata, teste Ioanne Michaële Paschali medico Hispano doctissimo & celeberrimo. Quare hac in re non est audiendus Aloysius Mundella, qui epistola sua prima, vsum Smaragdi contra Arabes damnat, à quibus certè aliqua scripta sunt à Græcis prætermissa, partim ignorata, vt docet Andreas*

*Turinus medicus doctißimus. Ad eundem modum Anton. Guaynerius medicus & professor Papiensis doctißimus de Smaragdi virtute in dysenteria ita pronunciat. Ego Smaragdum pluries in dysenteria expertus sum, faciens ipsum super infirmi ventrem alligari, & nunquam apposui alicui qui non euasevit. Inanes quoq; terrores discutit, quos Dæmonum illusiones vocant, mœrorem mœstitiamq; soluit.*

*Hæc gemma annulo inclusa, iuxta pratum virens, dum inspicitur illius aspectum vincit. Illud n. amplitudine sua, hæc fulgore ac quasi multas amplectente viriditates, colore presso certat. Smaragdi bonitas cognoscitur si in os sumatur & frigidus appareat, postea quoq; grauitate: carbonibus iniectus non ardet, nec flammam emittit. Minus boni, in Sole non sunt virides, perspicui tamen, cuiusmodi Atticos quoque fuisse, autor est Plinius. Perfectißimus Smaragdus multo constat pretio. Id quod Aloysius Mundella, Brixiensis medicus non incelebris, exemplo fratris sui Gemmarij testatur, qui à Francisco Maria Vrbinatium principe rogatus, vt illi Smaragdum granorum hordei aut tritici 8. pondere, ex orientis quidem regione purißimum, ad leuandam eius aduersam valetudinem afferret, illũ 113. aureis nũmis ei venundederit.*

Smaragdi bonitas.

*Varijs casibus obnoxius est. Vitiatur enim ab igne & æstu, à contactu duriorum gemmarum, præcipuè Adamante, à chalybe, ære communi tum Cyprio, ab ictibus, attritu: deniq; nullis non obnoxia iniu-*

Smaragdo multa accidere posse incommoda.

*iniuriis hæc gemma est. Hacque de causa paucis est in digitis, ob pretium grande. Eius loco viridi marmore abutuntur nostrates officinæ, aut crystallo falsario nobis illudunt.*

*Genuæ vas amplum habetur ex Smaragdo, pulcherrimum quidem, & pretio carens, si ex Smaragdo sit. Fabulantur ipsi paropsidem esse, in qua Dominus noster Iesus Christus cum Iuda intingebat manum. quod an verum sit, alijs iudicandum relinquo. Afferũtur hoc nostro seculo, ex insula Peru, duriores, alacriores; sed nõ adeo pressi coloris atq; herbacei, sed solũ virides, ideoq; magis perspicui. Aliud genus vile & abiectum, ex occidentali India ab Hispanis aduehitur, primis durius, qui tamen vix perspicui & hebetes, luce propria gaudent: ideo nocte pulchriores. Qui ex Peru sunt, vix vnus est sine macula aut vitio: pleriq; etiam dilutum nimis habent colorem: Alii paululum nigricant, quod omnem decorem aufert. Hinc sunt qui existimẽt, lapides hos de Peru, Smaragdos veros minime esse, sed magni lapidis Prasii fragmenta, qui in illa insula admodum copiosus est.*

## *DE CARBVNCVLO.*
## CAP. VI.

GEMMA hæc nobilissima, ab igniti carbonis colore appellata fuit: vnde Græc. ἄνθραξ dicitur, eo quod splendore, nec non valore vniuersas gemmas ardentes superet, quam nec tenebræ quoq; impedire possunt,

*Carbunculus vnde dictus.*

vt non media nocte, stellæ fulgentis in modum lumen diffundat, qua ratione inueniri etiam hanc gemmam dicunt. Plinius cum Ouid. voce Græca & propriissima, Carbunculum, *Pyropum* nuncupant, à πῦρ, quod ignem significat, flammasq; imitante Pyropo. Et *Apyrausta*, hoc est, quod ignem sentire non videatur.

*Carbunculorum genera & differẽtiæ.*

Huius Plinius multa genera recenset, breuitatis vero gratia, in marem & fœminam distinxit, pro acriori aut languidiori ipsorum fulgore: quorum extremus igniculus, si in violam exeat, hunc Carbunculum Amethystinum cognominat. Qui languidius & liuidius lucent, Æthyopicos vel Ceraunios appellat, à montibus Dalmatiæ, mea quidem sententia sic dictos: aut Carchedonios, à Calcedonio tamen, cuius supra mentio facta est, differentes, cum ex Smaragdorum genere existat.

Albertus Magnus, cum quo sentiunt recentiores nonnulli, maioris perspicuitatis gratia communiter *Carbones*, præcipueque ex his grandiores appellarunt: qui vero colore magis scintillant, *Rubinos*, vocarunt: Quibus succedunt *Granatæ*, longe obscuriores, ac minus grato colore, quod fulgeant similesq; sint grano mali Punici seu Granati, sic appellatæ: obscurioribus vero & exilioribus

no-

nomen *Rubineti* tribuerunt. Qui vero colore rubro & prælucido plus cæteris nitent, carmeſinum vulgo dictum colorem fulgore quadantenus referentes, *Balaſii* dicuntur, ſecundum Albertum ita dicti, quaſi ſint palatium, vel vt nos vocamus, arx, vnde Rubinus generatur. Singula hæc carbonum magnorum & pretioſorum genera, in regno Papæ inueniuntur. Notatu tamen dignum eſt, inter gemmas nullam difficilius cognitu vero Rubino exiſtere; tum ob plurimas ipſius differentias; tum etiam ob fraudes, quæ ab impoſtoribus committuntur. Adulterantur omnes vitro rubore infecto: Sed & languidos foliis bracteisque quibuſdam rubicundiſſimis ſubſtratis, excitatiores reddunt, vt non ſit facile à ſpuriis veros diſcernere. Auripigmentum quoq; lento igne combuſtum in carafetta, rubeis quibuſdam guttis tegi videbitur.

*Balaſÿ vnde dicti.*

*Rubinus verus cur difficulter cognoſcatur.*

Refert Plinius, ab Æthiopibus hebetiores in aceto maceratos 14. diebus niteſcere, totidem menſib. durante fulgore, vero carboni ſimilimo, qui tamen cote politi, deprehendantur, quod fragiliore aç molliore ſint compareantque materia.

Sed & centroſa ſcobe dignoſcuntur & pondere, quod minus eſt vitreis: aliquando etiam puſtulis argenti modo intus relucen-

Carbunculi vires. tibus. Illuminat cor ex S. Hieronymi sententia, ad contemplandas res veras & diuinas.

## ANNOTATIONES.

Gemma hæc] *Carbunculus, testante Alberto, lapis censetur omnium pretiosissimus, & aliorum comparatione, velut aurum ad ferrum vel plumbum. Aristoteles vocat eum gnomonem, sigillum, & gemmarum regulam. Si magnus sit & egregius, flammam coruscantem æmulatur. Gestatus quibuscunque vestibus tegatur, latere non potest. Splendor enim eius extra vestes apparet, sicut docet S. Epiphanius. Vnde etiã* Carbunculi *nomẽ accepit.*

Plinius cum Ouidio] *Pyropum vocare consueuerunt carbunculi genus nobilius. Quippe tria sunt illius genera. Primum, quod in tenebris splendet, & tenebras sic irradiat, vt quæuis, ac si clarus Sol elucescat, in extremo videas angulo; qualem se vidisse Albertus testatur. Hunc igitur* Pyropum *&* marem *vocant. Cui proximus est, qui dum in vase nigro, splendido ponitur, superfusa aqua, in tenebris splendet. Tertius autem vilior, cuius lux alieno solũ lumine conspicua est, diei, aut candelæ scilicet, quem* fœminam *asserunt.*

*Refert Ludouicus Vartomannus Romanus, regem Pegæ ( quæ est Indiæ ciuitas ) Pyropos habere tantæ magnitudinis & splendoris, vt si quis regem ipsum in tenebris conspicatus fuerit, non aliter lumine claro eum splendere videat, quam si Solis radiis illustretur.*

Hu-

Huius Plinius] *Carbunculorum varias species & differentias describit prolixè Plinius lib. 37. historiæ suæ naturalis, c. 7.*

Si in violam exeat] *Violaceus color in eo etsi gratiã addat, vitiũ tamen est, & pretium minuit.*

Ceraunios appellat] *Ceraunius dicitur, quod non alibi inueniatur, quam in loco fulmine icto. Vnde etiam nomen habet. κεραυνὸς enim Græce, Latine fulmen dicitur. Montana vero quæ Epyrum finiunt, Acroceraunia dicuntur Ptolomæo, eo quod summa eorum iuga, ob immensam altitudinem, crebris fulminibus feriantur. Albertus lib. 2. mineralium, perperam* Ceraurum *vel* Coranum *nominat. Item in Germania reperiri. Sed esse potest, vt id factum sit, non autoris, sed scriptoris vitio, Ceraurum pro Ceraunium & Germania pro Carmania scriptum sit.*

Ceraunius vnde dictus.

Aut Carchedonios] *Archelaus tradit Carchedonios nigrioris aspectus esse, sed igne, vel Sole, & inclinatione, acrius quam cæteros excitari. Eosdem vmbrante tecto purpureos videri, sub cælo flammeos contra radios solis, & scintillare: ceras signantib. his liquescere, quamuis in opaco. Prædictis multò vilior est. Nascitur apud Nasamonas, in montibus, vt incolæ putant, imbre diuino. Inuenitur ad repercussum Lunæ, maximè plenæ. Idem Archel. & in Ægypto, circa Thebas nasci tradidit, fragiles, venosas, morienti carboni similes. Neq; etiam desunt viri non incelebres, qui iuxta Basileam*

Carchedoniorum origo.

Ar-

*Argentiuamq;, clarißimas & insignes Germaniæ ciuitates, quosdam Carchedonios reperiri astruant. Præterea autor est Simphorianus Campegius in Lotharingia quoq; Carchedonios miræ magnitudinis, oriri, & si ferro percutiantur, sonoros, quos & vi præditos scribit aduersus raucedinem, vocemq́; clarificare. Quos tamen Franciscus Rueus, vir præclarißimus pro vero Carchedonio minime agnoscit: Quandoquidem optimus colore conspicitur medio inter Beryllum & Hyacynthum, accedente etiam leuicula quadam & subardente purpura, vt & proinde facilis sit suspicio, coiisse Beryllum cum Hyacyntho. Ideoque Carbunculis pallidior & subobscurior visitur; quanquam & Sole vel igne acrior excitetur. Dicunt etiam Carchedonios vmbram purpureos ostendere; sub dio vero, flammeos videri, & Soli expositos, scintillare. Qui autem à Lotharingis paßim circumferuntur, rubri semper æqualiter conspiciuntur, tantum abest, vt prædictos gratia & proprietatibus assequantur. Quamobrem spurium potius Lotharingium Carchedonium esse iudicat, vel omnino ignobiliorem eius speciem.*

Carchedoniorum vires.

*Cæterum facultates eis tribuunt non obscuras, contra cacodæmonas, & atræ bilis symptomata, tristitiam, timoremq́;. Neq; desunt qui victoriam ei promittere audeant, qui illum secum gestauerit. Sunt, qui sanguinẽ calefactum in manib. sistere existiment. Fertur, & festucas calefactus trahere.*

Ru-

Rubinos vocarunt ] *Rubinus à rubore non sine ratione appellatus videtur. Optimi in flumine Pegu reperiuntur. Ore ac lingua exceptos explorant. Optimos iudicant frigidißimos. Commendatio etiam à duritie. Nihil ab igne patiuntur. Rubinorum colorem augent atque acuunt, igne, incolæ Zeilam insulæ, in quo diu coqui sinunt.*

Rubinus vnde dictus.

Rubinorũ probatio.

Quibus succedunt Granatæ ] *Tres species habent Granatæ, aut tribus distinguuntur. Vna species est, quæ ruborem in modum floris mali granati habet. Propterea* Granata *nuncupatur. Antiquum nonen non est, quia Antiqui Carbunculum vocant. Altera species est, quæ ruborem habet, sed in Hyacynthi colorem inclinatum. Tertia species rubra est, in violæ colorem tendens. Hanc præ cæteris perfectiorem arbitrantur, vnde Itali* rubinum de rocha *vocant.*

Granatarũ differentiæ.

Balasii dicuntur ] *Balasius habet colorem Carbunculi dilutiorem, & quasi roseum. Magnitudine gratiam sibi comparat præcipuè inter gemmas. Habet se ad Carbunculum, vt Prasius ad Smaragdum; sed maior gratia Balasio quam Prasio, quod color ruber ob puniceum sibi coniunctum, latius extendatur. Puniceus enim color multum lucis continet. Oritur ex Balasio Carbunculus. Hæc species Carbunculi in vena Sapphyri inuenitur, & ideo ex vicinitate Sapphyri, quandam nebulam ad modum fauillæ circa ignem Balasius contrahit, quæ*

circa

*circa eius superficiem se diffundit. Et hoc patet sensibiliter, si diligentius inspiciatur.*

Quasi sint palatium ] *Omnis gemma matricem è lapide quodam formatam habet; in qua, succo destillante, velut infans materno sanguine nutritur. Vocant enim* matrem Rubinorum, *quoniam in eo Rubini gemmæ innascuntur.*

*Refert Ælianus lib. 8. de hist. animal. Ciconiam ob crus fractum, & ab Heraclide muliere curatam Carbunculum (veram Æthiopum Amethystum) qui nocturnas tenebras instar lampadis illustrat, præteruolantem, gratitudinis ergo in sinum illius mulieris deiecisse.*

Carbunculi vires.

*Carbunculus collo suspensus & ebibitus, sine dubio tristitiæ multum resistit, si quid aliud, à pestilentia præseruat, libidinem coërcet, malas cogitationes aufert, incolume corpus seruat.* Nam hæc *omnia hoc ipso constant, quod vitalem spiritum cõfirmet. Sed somnum valde minuit, vt nihil sit ex omni parte beatum. Est n. terreæ igneæq; substantiæ. Cor confirmat, & tantundem cerebro nocet. Facit hominem iracundum, & sanguinem exagitat. Quæ vero species in Æthiopia inuenitur, quam Gemmarij* Sorianam *vocant, longe pulchrior est: quoniã densiorem habet substantiã ad* Hyacynthiq; *colorem accedit, adeò vt ab illo vix distinguatur. Verum non coruscat vt prima species: ideoq; neq; ad iram, neq; ad vigilias ita hominem pronum efficit: sed nec exhilarare tantum potest.*

Ba-

Balasius sedat affectus omnes furoris, iræ, atq; libidinis] *Ideo ad reconciliationes vtilis, & mulierib. maxime congruit ob hæc, tum ob venustatem. Iecoris præterea morbis conferre creditur epotus gestatusq;.*

Balasii vires.

Rubinus] *Animis gaudium ingenerat: venenis resistit, hoc ipso, quod vitalem spiritum confirmat, & pares cum Carbunculo vires obtinet. Notatu vero dignum est, Rubinum verum Orientalem, coloris crebra mutatione & obscuritate, homini ipsum gestanti, certum aliquod infortunium, & calamitatem non diu abfuturam, denunciare, & pro maiori vel minori infortunio, ad maiorem & minorem nigredinem & opacitatem declinare. Id quod tum à viris clarißimis frequenter audiui, tum quoq; proh dolor ipse expertus fui. Cum enim Decembris, anni 1600. post CHRISTVM natum, cum dilectißima & suauißima mea coniuge, Catharina Adelmannia piæ memoriæ, Studgardia Calvvam proficiscerer, obseruaui in itinere manifestißimè, Rubinum pulcherrimum, quem annulo aureo inclusũ ab eadẽ dono acceptũ in manu gerebã, semel atq; iterum splẽdidißimum colorem fere prorsus amisisse, & pro splendore, obscuritatem, & luce tenebras, acquisiuisse: quæ nigredo & obscuritas non solum per vnum vel alterum diem, sed aliquot perdurauit, adeo, vt vehementer perterritus, annulum ex digito remouerim, & in cistam recondiderim. Vnde non raro coniugem*

Rubinorũ vires.

Obseruatio.

ad-

*admonui instare vel mihi vel illi insigne periculum, quod ex Rubini mutatione & varietate collegerã. Neq; sane animus meus me fefellit, vt quæ intra paucos admodum dies lethali morbo correpta fuerit, qui ipsam ad mortem vsq; comitatus est. Post mortem vero pristinus splendor sua sponte denuo rediit.*

Granatarũ vires.

*Granata melancholiæ aduersatur, & cor reficere creditur.*

## *DE SAPPHYRO.*

### CAP. VII.

SAPPHYRVS in Hebraica, Græca & Latina lingua idem nomen obtinuit. Quam Epiphanius appellat gemmam admirabilem, pulcherrimam, gratiosissimam, quæ propterea etiam in armillis & monilibus reponi consueuerit, idque potissimum à Regibus. Quamuis vero nonnulli ex interpretibus Hebræis illam describentibus, eundem colorem cum crystallo repræsentare: Alii colori purpuræ nigræ, qui violarum est, similem esse asserant: hi tamen male sentiunt: cum Sapphyrus communi omnium consensu, serenissimi vernique cœli colorem efferat.

Multo minus induci possum vt Sapphyrum ab Epiphanio *Regiam* appellatam, aureis-

reisque punctis collucentem, ex genuinarum Sapphyrorum genere esse existimem, cum hic potius lapis sit Lazuli, specie sua ab hoc multum differens, qui propterea *stellati* nomen accepit, cuius in medicina multiplex est vsus, hique insignis magnitudinis reperiantur. Sapphyros veras ex Æthiopiæ Indiæque regionibus afferri scribunt, quarum illæ præ cæteris commendantur, quæ apud Medos & loca Libyæ vicina reperiuntur, quæ hodie Syrtes Barbariæ existunt, eo à fluctibus maris inter arenas pulsæ. Inter reliquas gemmas, Sapphyrus hac proprietate pollet, vt admotarum rerum imaginem, speculi more, reliquarum instar, minimè reddat, licet dignitate nulli alteri cedat. Quin potius *Gemmæ sacræ* appellationem accepit, quali exornatus videbatur thronus Dei in maiestate sua constituti. Ezech. c. 10. Hanc gemmam S. Hieronymus in explicatione c. 19. Prophetæ Esaiæ, portanti gratiam apud homines & principes conciliare, inimicos reconciliare, carcere detentos liberare, & iram Dei placare affirmat. Necesse quoq; est, vt is, qui hanc portat (sic referente Isidoro) castissimam vitam degat. Prætereò multas alias vtilitates stupendas, quas in morbis corporeis operari videmus.

*Epiphanii error.*

*Sapphyrorũ electio.*

*Sapphyri vires.*

## ANNOTATIONES.

Solini error.

*Gemmam hanc Solinus cap. 33. perperam cum Hyacyntho confundit. Est autem lapis admodum pretiosus, nitore cæruleo præditus, si quidem inculpabilis inueniatur. Est enim vitijs non parum obnoxius. Nam plerunque aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliquescit. Optimus in illo tenor, si nec densiore succo sit obtusior, nec propensa perspicuitate deiectior, sed ex vtroque temperamento lucis & purpuræ, moderatum suauiter florem trahat. Hic est qui sentit auras, & cum cœlo facit mutationem, nec æqualiter rutilat, cum aut nubilosus est aut serenus dies. Si Sole percutiatur, fulgorem fere ardentem emittit. Præterea in os missus magis friget. Sculpturis certe minime accommodatus, vt qui attritum respuat: nec tamen penitus inuictus. Nam Adamante scribitur & notatur.*

Sapphyri electio.

Sapphyros veras ] *Sapphyrus in plurimis Indiæ locis nascitur, vt in Calecut, Cananor, varijs regni Bisnagar locis: præstantiores ex Zeilan afferuntur: omnium vero laudatissimus ex Pegu, vt GarZias scribit. Quamuis vero in diuersis partibus inueniantur, Orientalis tamen omnibus melior iudicatur.*

Sapphyrorum origo & patria.

Gemmæ sacræ ] *Tantæ authoritatis fuit hæc gemma apud veteres, quod etiam apud Deum non modicum valere putarunt. Vnde & Apollini fuit sin-*

Sapphyrus gēmæ

*ſingulariter conſecrata: quia cum Gentiles pro reſponſis Apollinem ſacrificiorum tempore conſuluerunt, certificari citius putauerunt, ſi Sapphyrũ tunc in præſentia haberent, vt ſcribit Dioſcorides. Tradit Epiphanius in lege ſcriptum eſſe viſionem, quæ Moyſi in monte apparuerit, & legem datam in gemma Sapphyro fuiſſe expreſſam.*

Sacræ appellationẽ cur meruerit.

Portanti gratiam] *Ego vero hac de re aliter ſtatuendum eſſe cenſeo, qui exiſtimo, Deo amico parato de amicis & fauore hominum plane curandum non eſſe, qui reconciliato Deo ſtatim parantur & præſtò adſunt. Cui rei præclariſſimum teſtimonium ſacra Scriptura perhibet, li. 2. Sam. c. 8. de Dauid; qui poſtquam mandata Dei ſedulo obſeruaſſet, vndique gratia Dei benedictus fuit, primum regno, deinde victoria, poſtremo amicis regib. Fauor autem Dei tum demum paratur, ſi bene & iuſtè viuas, & pietatem colas.*

Neceſſe quoq; eſt] *Nulla propemodum eſt gemma, quæ non mutationem ſuſtineat, ſi homo vel intemperans ſit; vel non ſatis pro dignitate cõtinentiam ſeruet, ac tueatur. Deperit n. illi vis inſita, omnisq; nitor ſordeſcit atq; obſcuratur. Quo fit, vt q adulterio ſe contaminãt, thorumq; legitimum ac genialem commaculant, tum qui vago ſordidoque concubitu ſe polluunt, nunquam ſpecioſas nitidasque gemmas circumferant. Contrahunt enim aliquod vitij ex putidis corporibus, quæ virus exhalant, illasque venenato*

Gemmæ qua ratione nitorẽ & ſplendorem amittant.

*halitu inficiunt, vt mulieres menstruo inquinatæ speculi nitorem obfuscant.*

Sapphyri virtutes.

*Sapphyrus omnibus in morbis cutis gestando vtilis est. Id quod se expertum esse Cardanus testatur. Anthraces enim pestifero tempore nasci vetat, & scabiem semper minuit. Et quod maius est, super Anthracem posita, non aliter eum quam aqua ignem extinguit, vt sæpius se expertum fuisse Antonius Guaynerius Papiensis medicus expertissimus, testatur. Nam eius malitiam & venenositatem reprimit & infringit, & ne venenatus eius fumus, ad cor ascendat, & spiritus inficiat, impedit. Requiritur tamen vt grandis sit & carni diu inhæreat. Commentitium tamen est, quod à plerisque dicitur Sapphyrum, Carbunculo seu Anthrace extincto, viribus destitui. Creditur, quin etiam pota scorpionum aduersari ictibus. Vim enim habet veneno penitus contrariam. Vnde si araneam intra pyxidem posueris, veramque & orientalem Sapphyrum supra pyxidis orificium aliquandiu detinueris, ita vt diutius supra animal pendula admoueatur, aranea cito morietur: Et hoc à pluribus expertum est. Præterea singulari virtute ad tumores & inflationes discutiendas pollet. Certũ enim est, quod inflammationes reprimat, si in principio collectionis nociuæ citius apponatur. Insuper virtutem habet confortandi & lætificandi cor. Vnde valet contra cardiacam, & quamlibet paßionem melancholicam: sua virtute corpus vegetat, & mem-*

*membra integra conseruat. Reprimit, quin etiam calorem præter naturam & febrilem. Si enim Sapphyrus iuxta cordis arterias suspendatur, magnum refrigerium febricitantibus præbet. Vnde tempore accessionis sic debet suspendi circa venas potentum. Temporibus apposita, sanguinis fluxum per nares restringit. Memorabile & illud de Sapphyris videtur, quod aliqui digni, quibus fides habeatur, affirmarunt, illis scilicet mirabilem quandam proprietatem inesse, ad varios & inueteratos oculorum tollendos affectus, si super illorum acie & membranis, ita vt ipsas tangant, sæpius imponantur, præcipuè cum nulla arte expolita sint. Oculos si sæpius tangat, à variolis præseruat, quia illos suo tactu corroborat. Idem fit, si quis ipsam sæpius intueatur. Bibitur & contra intrinsecas exulcerationes. Probè enim trita, & lacti admixta, vlcera atq; vulnera sanat. Ingreditur Sapphyrus cum alijs gemmis, nobile illud, & pretiosissimum* Electuarium de gemmis appellatum, *& alia Electuaria & Antidota ad cor facientia, quæ aduersus venena & pestiferos affectus parantur. Cæterum, vbi in vsum vocantur lapides, admodum vehementer contusi, atque ad læuorem redacti sint, oportet, similiter atque ea medicamenta quæ oculis adhibentur.*

## DE IASPIDE.

### CAP. VIII.

QVANTVMVIS *Iaſpis* valore à multis aliis gemmis ſuperatur, ob colorum tamen varietatem, & magnitudinem ſuam, magnam dignitatem & gratiam obtinet. Vox *Iaſpis* de græco in latinum, ſecundum Iſidori interpretationem, viride ſignificat, quod tamē ſuprema viriditate colluceat, & Epiphanii & Plin. ſententia, Smaragdi colorem referat, quæ tamen ſit obtuſior & hebetior, nec ita tranſpareat. Eius plura ab autoribus recenſentur genera. Quædam enim in Cypro, & circa ripas Termodoontis fluuii, in Cappadocia reperitur: Perſica æri ſimilis conſpicitur. Eſt & alia magis glauca quam mare, quæ ruboris nonnihil admiſit, & ex purpureo cæruleum refert. Alia reperitur in ſpeluncis montis Idæ in Phrygia, pellucidior purpura, quæ cochleæ marinæ ſanguine tingitur, & vini nigricantis colori ſimilior, Amethyſto ſaturatior. Alia aquæ glaciem: alia niuem colore imitatur, quæ ob id à Plinio, Iaſponyx vocatur: aliæ Cryſtallo: aliæ vitro ſimiles ſunt. Non poteſt exprimi gratia illa, quæ in Iaſpide cernitur, quæ ex multorum clariſſimorum, e.g. viridium, rubeorum & alborum mixtione exſurgit. Figuræ vero quas

*Iaſpis vnde dicta.*

*Iaſpidis genera & differētiæ.*

quas pulcherrimæ aliquæ maculæ exprimũt, ſtupendæ ſunt, quæ clararum aëris nubium more, montes, flumina, campos, animalia diuerſa, & nonnũquam homines armatos, ſub pedib. ſerpentes habentes, exprimunt, quam virtutem contra omnes inimicos habere aſſeuerant. Vnde in Apoc. c. 2. cœleſtis Ieruſalem fundamenta, muriq́; , ex Iaſpide conſtituuntur, ſignificando, ex interpretatione S. Hier. quod vis Iaſpidis, & magnitudo ſcientiæ diuinæ, quancunque falſam doctrinam expugnet & ſuperet. Sunt qui herbarum imagines illis inſculpãt, quas multis virtutib. medicinalib. præditas eſſe affirmant, præcipue quod ſanguinis impetum compeſcant. Galenus nunnullorum teſtimonia citans, Iaſpidem viridem à collo ſuſpenſam, ita vt ſtomacho è directo reſpondeat, illum corroborare, ventriculi os confirmare, omnesq́ue naturales virtutes mirabiliter adiuuare teſtatur. Id quod ſe quoque expertum fatetur.

Iaſpidis vires.

## Annotationes.

Magnitudinem ſuam ] *Teſtatur Plinius ſe magnitudinem Iaſpidis vndecim vnciarum vidiſſe, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam. Quod de orientali tamen intelligendum eſt: ſiquidẽ in German. Bohem. & alijs in locis maxima fruſta*

*effodiuntur, ex quib. nonnũquam fontanæ, mensæ, & alia efficiuntur. Refert Petrus Bellonius, se in itinere per Albaniam, veteribus Epyrum dictam prouinciam Iaspides variorum colorum in agris, atque etiam Chalcedonios vidisse: imò nonnunquam & ipsos ædificiorum in pagis muros, è Iaspidis & Chalcedoniis lapidibus extructos fuisse.*

Iaspidum genera & differẽtiæ. Iaspidis electio.

Eius plura ab autoribus] *Optima est Scythica, dein Cypria, postremo Ægyptia. Probatur non admodum parua, splendens, viridis, sanguineis guttulis plurimis, ac valde viuum sanguinem æmulantibus, conspersa. Sunt etiam quæ lineis distinguuntur. Familiaris ei color est in vario ferrugineus. Hodie tantùm nota est, quæ ad rufum colorem inclinat, Ienæ, pluribusq; aliis locis in Germania nascens. Adulteratur maximè tinctura, idq; in gloria Regis Ægyptii ascribitur, qui primus eam tinxit.*

Iasponyx vocatur] *Iasponyx lapis in vna sui parte est Iaspis, in altera Onyx. Hæ quoque ex propriis venis, prope Mittelbachum Misniæ oppidum, eruuntur.*

Vtrum ex figuris lapidibus insculptis, virtus aliqua peculiaris in gẽmas ex cœlo deduci possit.

Sunt qui herbarum] *Ars lapidem in varias figuras transformat. Tales etiam sunt imagines: quas plerique diebus certis, & pro astrorum constitutione certa in gemmas incidi curant. Sculpunt autem gemmas, ex gemmisq; sigilla conficiunt potissimum Chaldæi & Magi, quod putent per huiusmodi figuras, ab iis lapidibus, in quibus fue-*

*fuerint, admirabilia quædam opera effici posse. Cum Chaldæis faciunt Alchymistæ, Conciliator, Pomponatius, Franciscus Rueus, & alij. Porrò, cum figura per se, nulla vi agendi prædita sit, vtpote quæ à solo motu locali, Philosophorum sententia, producendi virtutem nullam habente, perficiatur, quæstio est, vnde imagines & sigilla, vim efficaciamq; tantam accipiant?*

*Sunt autem qui figuris huiusmodi ex cælo in lapides deduci admirabiles virtutes credant: ex quibus sunt citati autores. Sunt alij qui à Dæmonibus talia fieri censent: inter quos est Thomas Erastus. Quæ sententia, vt communior est, ita etiam magis ad verum accedit. Nam ex cœlo virtutes huiusmodi in figuras deduci non possunt, quandoquidem cælum cum sit agens naturale, naturaliter, & in id tantũ, quod naturale est, agit. Sed figuræ Magicæ & Astrologicæ, naturales non sunt: nec ars, res, quæ natura sua inhabiles alioqui erant, habiles reddit, vt pati naturaliter possint. Quî ergo cælum in illas actione sua, virtutes, tam admirabiles insinuet? Præterea lapides eandem naturam post imaginũ cælaturam retinent, quam habebãt antea: nõ magis n. ars naturã immutare, quam dare potest. Quare si lapides, cum figuris illis carebant, vires cælestes accipere non erant apti, quomodo apti efficientur per artem? Quæ namq; naturam eandem habent, eodem semper modo mouentur à cælo; quæ diuersam, diuersis tantum modis patiuntur.*

 *Sed*

*Sed ars naturam lapidis non mutauit. Siue enim Magnes, e.g. insculptam figuram leonis, tauri, vel muscæ habeat, siue non habeat, neque magis, neque minus est Magnes, quam erat prius. Ergo si lapides apti non erant, figuris destituti tantos influxus recipere, nec erũt apti post imaginis impreßionem. Cum ergo figuræ huiusmodi, nec à se, nec à cœlo, vim vllam habeant, qua effectus admirabiles produci poßint, cum lapides eiusmodi quid operari videmus, reliquum est, vt vel à Deo, vel à Dæmone, huiusmodi effectus produci existimemus; vel certè casu sequi. Nihil enim est aliud, in quod tanquam in causam referri poßint, & figura ipsa signum esse potest, quo causa intellectu prædita, ad agendum incitetur. Sed Deus huiusmodi effectuum causa censeri minime debet, quippe cum figuris superstitiosis, & communi Ecclesiæ iudicio, hoc est suo non approbatis, minime adducatur, vt quæ ad cultum & honorem ipsius proprie nec pertinent nec referuntur, ipse operetur. Est ergo Dæmon, qui per figuras istas & imagines lapidibus insculptas, tanquam per signa, quæ ipse nouit & instituit, effectus illos admirabiles operatur.*

Iaspis vbi effodiatur.

*Iaspide multum nobilitatur Cygnæa, vbi tanta copia eruitur, vt ædificiis publicis (rudi tamen forma) à veteribus sit inclusa. Effoditur etiam Coræ, sanguineo colore rubens: Similiter flauo colore diluto,* ein bleichgälber Jaspis : *flauo colore saturo,* ein schöner rohtgälber Jaspis. *Sic etiam*

*Eu-*

*Eusebij rubra, quæ in se habet, vt Geodes Monteschanus, fluores candidos, pellucidos, sexangulos: flaua rubris maculis: saturo iecoris colore,* Ein dunckeler / leberfarber Jaspis: *item iecoris colore.*

*Effoditur etiam Iaspis, cui color est glaucus & pinguis, vel viridis, lacte suffusa, è duobus Lygiorum montibus, ad Strigam, Silesiæ oppidum, Turchesiis non absimilis: quanquam Doctorum nõnulli hanc gemmam Iaspidum speciem esse velint. Quæ ad Salam inuenitur, præcipue in rubro nigrum colorem repræsentat, quam incolæ vocant,* ein roht schwartzen oder leberbraunen Jaspis.

Iaspidis vires.

Galenus nonnullorum ] *Scribunt Græci, Iaspidem quæ viridi colore sit, alligatam & in annulo gestatam, cibum in stomacho non continentibus prodesse: quæ autem subuiridi, quoniam efficacior sit, oculorum cicatrices & pterygia extenuare. Suspensas ad plurima valere aiunt, nempe ad omnem sanguinis fluorem, narium præcipue, ad protegendum conceptum & partum iuuandum à femoribus appensam: Veneremque inhibendam, febrem & hydropem fugandam.* Confert *n. huic bifariam.* Nam *multi ex fluxu sanguinis in hunc incidunt, & concoctionem adiuuando. Roborato a. ventriculo, concoctiones meliores fiunt, probatiorq; sanguis gignitur, nec tam dilutus & serosus, qualis in Ascite, hydropis specie, produci cõsueuit. Hæc a. intelligẽda sunt, si à collo suspẽdatur,* an-

*antequam hydrops vires ſumpſerit. Confirmata enim nihil prodent. Nonus, Medicus ex antiquioribus non contemnendus in ca. de Epilepſia affirmat: Iaſpidem viridem à collo ſuſpenſam, epilepſiam arcere. Cui ſuffragatur multorum experientia, qui teſtantur, ſi Iaſpis ſuper os ſtomachi alligata, per diem ac noctem, ab epilepticis portetur, & æger ſudore corripiatur, ægrum à paroxyſmo liberari: ſin minus, fato concedere. Idq; in viris & mulieribus infinitis probatum eſſe inquiunt. Viſui confert, quoniam omnis color viridis illi vtilis eſt. Pellit inanes cogitationes, non omnes, ſed eas, quæ ex ſanguinis impetu procedunt. Quod ſi Iaſpis argento claudatur, eius virtus plurimum iuuatur, quoniam maiorem virtutem habet Iaſpis in argento quam auro.*

## *DE LYNCVRIO SEV Succino.*

## CAP. IX.

EPIPHANIVS huius vocis *Lyncurij* ſeu, vt alii ſcribunt, *Lycurij*, quæ textui Hebræo quoque parum correſpondet, ambiguitate motus, dubitauit, quænam gemmarum ſpecies intelligi deberet. Exiſtimauit tamen per hoc vocabulum *Hyacynthum* intelligi, quæ pretioſus quoque lapis eſt, & inter 12. in Apocal. recenſetur, quo loco Lyncurii nulla ſit

ſit mentio. Illum tamen veram Hyacynthum, purpuream ſcilicet, minime intellexiſſe neceſſe eſt, ſed eius ſpeciem quandam citrinam, quæ croci colorem quaſi referat. Plinii pariter Ælianique deriuatio vana eſt, qui exiſtimant, Lyncurium ſic dictum eſſe, quod ex vrina Lyncis animalis ob videndi aciem famoſi, gignatur, quæ ita reddita, glacietur, areſcatue in gemmas carbunculis ſimiles, & igneo colore fulgentes, Lyncurium vocatas. Quod & ipſos Lynces ſentire, hoc documento probatur. Nam egeſtum liquorem arenis in quantum potuerunt, contegunt, inuidia quadam naturæ, ne talis egeſtio in vſum humanum tranſeat. Vnde celerius ſolidatur, & in gemmæ formam tranſit, ſtomacho vtiliſſima, & à mulieribus pro decore expetita. Veritati tamen magis conſonum eſt, vt per hanc gemmam intelligatur Ambra flaua, quæ cum venuſtiſſima ſit, & auri more ſplendeat, propterea meritò inter gemmas connumeratur. Quoniam vero hæc in littore Germanico reperitur, & in Suecico mari ex arenis colligitur: nec tamen, quantumuis multa diligentia Romani quoque vſi fuerint, vnquam comperiri potuit, vtrum hæc ſpecies gemmæ ex mari illo glaciali apportata exiſtat, cum formicas, culices, muſcas, araneas, aliaque id genus animalia, cum

*Plin. lib. nat. hiſt. 8. c. 38.*

cum alis apertis inclusas, esse cernamus: vel an species quædam bituminis clari existat, quod in litterib. illis generetur, & per maris impetum, inter arenas expellatur, quemadmodum libro 6. cap. 26. de thermis demonstrauimus. Ex quo nata mihi verisimile fit Electri fabula apud Græcos. Quemadmodũ enim Græci fabulati sunt, Electrum nasci ex lachrimis sororum Phaëtontis fulmine icti, quæ fratris mortem deplorantes, in populum arborem tandem conuersæ fuerint, & perpetuas fundant lachrimas iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus, vnde postea in electrum & succinum coëant: Eodem modo alii finxerunt, clarissimam hanc Ambram ex vrina Lyncis arena coperta, nasci. Per Lyncurium igitur intelligemus Ambram pretiosam, clarissimam, ex quibus Principes coronas precarias fieri curant: quæ verum Antiquorum Electrum, multis infirmitatibus conducens, censeri debet.

## ANNOTATIONES.

**Succinum vnde dictũ, eiusq; variæ appellationes.**

*Succinum sic dictum est à Romanis, quod ex succo concreuerit, non quidem arborum, sed ex terræ visceribus emanante: & dicitur Græcis* ἤλεκτρον*, quia tritum calefactumque attrahit & allicit ad se paleas & res minutas, non secus ac Magnes ferrum, Persis* Carabe, *Arabibus* Am-

Ambra, *veteribus Germanis* Glessum, *hoc est, vitrum, vitreum, quia vitri instar pellucet: nostris* Agtstein / Bornstein / *Ægyptijs* Sacal, *Scythis* Sacrium Lyncurium, *&* Langurium, *alijs materia Succini nobilißimus terræ succus est viribus Balsamo haud absimilis, odorem suauem & fragrantem spirans, Prußiæ natiuus & familiaris, cuius tamen fontes vel scaturigines hactenus nunquam in tota Borußia in conspectum nostrum prodierunt, aut è terra erupisse visæ sunt.*

Succini materia quæ.

*Videmus enim istius pretiosi balsami succum, nostras manus effugere, & per meatus subterraneos luto sordibusque inquinatos, labi & deuolui in mare fluctibus feruens, quorum tempestate hinc illinc agitatus, tamdiu concutitur, quoad frigiditate maris concrescat, & eiusdem salsedine alteretur. Succini autem, cuius feracißima est Borussia, tres præcipuas differentias norunt incolæ ex colorum varietate sumptas.*

Succini differentiæ.

*Prima lutea est, grata perspicuitate transparens, aurum colore repræsentans.*

*Altera alba, imo candidißima: Tertia obscura, confusos & varie mixtos colores obtinet, cuius maior est copia, sed minima vtilitas, cum neq; ad medicinas, neq; ad ornamenta id transferre soleât.* Nonnulli *quartam addunt speciem nigram, sc. quæ aliâs Gagates dicitur, quæ est amarißima, odoris ingrati, capitis dolorem fumo suo pariens.*

Suc-

*Succinum candidum inuentu eſt rariſſimum, quod etſi prima facie ſordidum ac vile videtur, ſicut & apud Romanos olim in nullo fuit pretio: tamen admirandæ virtutes ei inſunt. Guſtantis linguam commanſum, ſingulari afficit dulcedine, qua cætera Electri ſpecies, vel omnino carent, vel exigua ſunt prædita. Peſtem & omnia venenorum genera arcet. Aiunt ſtridere candidum, quando venenum ei ſuperfunditur. Cordi perutile eſt, ipſiusque malis ac palpitationi inſigniter medetur: propterea veteres id electuario de gemmis admiſcuerunt. Exſiccat, leuiter calefaciendo, ideo etiam ad humidos capitis morbos valet. Syncope & animi deliquio, vertigine, & epilepſia correptos, odore ſuo fragrantiſſimo reuocat & excitat: tuſſi immoderatæ & capitis defluxionibus medetur: dentium dolorem mitigat, ſi parum eius in aqua roſarum coquatur, & pauxillo Zinzibere addito, in ore eius decoctum detineatur. Marcelli Empirici teſtimonio, ad cardialgiam, hoc eſt, ad morſum oris ventriculi, plurimũ valet, ſi decocti eius per triduum vnciæ duæ propinentur. Calculo & vrinæ difficultate vexatis prodeſt: menſes prouocat, vteri ſtrangulatum ſingulariter compeſcit, eumque procidentem, fumus eius loco ſuo reſtituit: grauidis geſtationem fœtus leniorem reddit: in puluerem redactum ex vino propinatur ad album vteri fluorem, naturaliaq; corroboranda: ſanguinem reijcientibus, & tabidis*

con-

*conuenit: profluuio seminis, ex ouo sorbili quotidie drachmæ vnius instar assumptum, succurrit: intestinorum difficultati & sanguinis ex naribus fluori, subuenit. Mulieres illarum terrarum ad partus difficultatem, candido succino nihil habent præstantius. Parturientibus enim, drachmæ dimidiæ pondere, ex vino albo, potui datur ad fœtum maturandum partumq; accelerandum, quod frequenti experientia comprobatum est. Qui haustus longe efficacior redditur, vbi croci contusi, auri Vngarici limati, spicæ Romanæ, cuiusq; scrupulus addantur, vel in aqua arthemisiæ exhibeantur. Ad vrinæ difficultatem pari successu, drachma vna ex aqua saxifragiæ bibitur. Quidam hoc remedio cum semine paliuri, ex vino epoto, vrinam, quindecim diebus retentam, excreuit. Articulari quoque morbo conducit, si eius drachma media, ex ligni Guaiaci decocti vncijs duabus exhibeatur Quare ex eo optima conficiuntur medicamenta & ad plurima salutaria, ex quibus non contemnendi sunt pastilli, item pilulæ cuiusdam senis, diligentis obseruatoris succini præseruantes stomachum ab omni læsione intrinseca, nec permittentes putrefieri humores in eo. Nam abstergunt & mundificant rugas parietesque ventriculi, & confortant cor. Quare euenit, vt qui aßiduè ijs vtatur, permaneat illæsus à dolore stomachi & capitis, reddaturque hilarior. Renes insuper & matricem purgant, mireq; conferunt oculis: quarum de-*

Experimẽtum præstans ad partum accelerandum.

Pilulæ stomachicæ ex succino.

scriptio hæc est. ℞. succini albi subtiliter puluerisati, masticis, ana vnciam dimidiam, aloës opt. drachmas decem, agarici boni drachmas tres, aristolochiæ rotundæ veræ, drachmam vnam. Misceantur omnia, & cum syrupo de absinthio, vel de succo betonicæ, conficiantur pilulæ septem ex drachma vna, Dosis earum sint duæ vel tres, vel quinque ante lecti introitum.

Quoniam vero non rarò vsus fui, confectione mea de Succino in epilepticis & vertiginosis, & nunquam nō insignem vtilitatem ægros ex eius vsu percepisse vidi, adeò, vt frequentissimæ accessiones, quibus antea affligebantur, illos aut plane deseruerint, aut certè longe melius habuerint, cuius etiam non semel mentionem feci, in centuria prima curationum mearum ratione institutarum, quo beneficio hoc plures participarent, eius descriptionem subnectere volui, quod sic habet.

Confectio de succino.

℞. succini albissimi præparati, drachmas tres cranij humani vsti, radicis pæoniæ, ana drachmam vnam, cinamomi, spicæ nardi, spec. diacymini, ana scrupulum vnum, corallorum rubeorum præparatorum, margaritarum præp. ana scrupulum medium. Pulueri satis omnibus exactè adde saccari altissimi in aqua rutæ dissoluti quantum sufficit, & fiat confectio in rotulis, quarum duæ vel tres mane & vesperi deglutiantur.

Hæ enim tabulæ epilepticæ humores crassos extenuant, vaporesque turbulentos ex ijs ortos, dissipant,

*pant & discutiunt, catarrhos exsiccant, caput ipsum, omnesq; sensus mirè roborant, nec solum manifesta, sed occulta quoque proprietate, efficacaciter iuuant.*

*Incidi etiam & commisceri poterunt hæ tabulæ, cum puluere grosso, communiter appellato, & alijs rotulis ad confortationem cerebri & stomachi facientibus, non sine luculento commodo & profectu. Id autem tum demum faciendum erit, cum corpus vniuersum probè prius euacuatum fuerit.*

*Ex succino albo singulare præseruatiuum pro apoplexia, Epilepsia, & catarrhis ad pectus delabētibus præparatur, quod multi pro secreto tenent. Cuius hæc est compositio vel descriptio. ℞ spec. diarod. drachmas 3. diamarg. frig. de gemmis, ana drachmam mediam, succini albißimi dr. 2 Misce, fiat puluis, de quo in aqua ex cerasis nigris destillata drachma exhibeatur, semper die proximo à nouilunio. Omne electri genus in candidum conuerti potest, si iustam in mari trahat moram. Vetustate enim albedinem acquirit, dum à salsedine maris alteratur, & fecibus extersis & elotis magis depuratur.*

*Fuluum & transparens apud Italos in maiori habetur pretio, cum candidum ipsis rarum sit, & pene incognitum, quod tamen incolæ harum terrarum propter raras & eximias vires maximi facere solent. Fuluum torno Dantisci*

*& Regiomonti elaboratur, à quamplurimis artificib. ac inde infinitæ corollæ precariæ fiunt, sphærulis tum maioribus, tum minoribus distinctæ, equitum statuæ, cochlearia, candelabra, aliæque figuræ pulcherrimæ. Sed miru dignum est, in statuis illis, araneas, muscas, formicas, culices, aliaq; animalcula implicata & intus hærentia, quorũ tamen succino, cui inclusa videntur, confracto, nullum appareat vestigium: quod verum esse testatur Galenus Bellobonus medicinæ Doctor, confractis vno aut altero globulis. Succinũ attritum & calefactum specifica sua virtute, festucas, quisquilias, & leuißima quæq; allicit & attrahit, præter ocymi surculos, & quæ oleo perfusa fuerint. Vnde Electrum, & Persica dictione,* Carabe, *hoc est, paleas rapiens, vocatur.*

*Ipsum solidum digitorum quidem attritu, aliquam accipit vim caloris, sed maiorem, si atteratur panno rudi, ligno, lapide, cæterisque rebus duris. Coram toxico madet perinde ac Adamas.*

*Ex ramentis fiunt pulueres suffumigatorij aduersus pestem & catarrhos frigidos exsiccandos, quorum odor ad tertium diem durat.*

*Coquitur & ex ijs vernix, Germanicè* Fernicß/ *cuius multiplex vsus est, tam pictoribus, quam Typographis & alijs artificibus.*

Oleum de Succino eiusq; vires.

*Ex ramentis succini mellei & transparentis, Chymici per ascensum eliciunt oleum copiosum pretiosißimum, candelæ instar ardens, & pini odorem re-*

fe-

*ferens, quod non tantum electri est colore, sed quouis auro purißimo magis nitet. Appellatum fuit olim* sacrum, *propter vires eius admirandas & arcanas. Habet quidem easdem quas succinum ipsum; verum multo efficaciores. Nam quicquid efficaciæ & virium in 5. 6. vel 7. libris succini inest, in libram 1. facile redigi potest. Superat sua facultate omnes aquas vitæ, quas vocant, omneq́ue aurum potabile, præsertim in apoplexia & epilepsia curanda, siquidem calidißimum est, incidit, extenuat, aperit, & discutit potenter. Ideo in affectibus frigidis, præcipue colicis & vterinis miracula præstat: sicut & in excitandis epilepticis, quique alijs affectibus soporosis sunt correpti, fœlicißime eo vtuntur: Ex vino maluatico, aqua petroselini, saxifragiæ, vel alio liquore exhibitum, calculos vrinamque educit: in strangulatu vteri efficacißimum est, si naturalia & os eius ipso inunguntur. Sex vel septem guttæ, in aqua pulegij exhibitæ, retenta menstrua prouocant. Totidem guttæ in duobus cochlearib. verbenæ vel fœniculi propinatæ, fœtus euocãt partumq́ue facilẽ reddunt. Huius duæ aut tres guttæ maiorem efficaciam habent, quam pulueris eiusdem longè maior quantitas, cuius vna vel altera gutta naribus inuncta, indubitanter à peste & aëre pestilenti præseruat. Olei huius duo vel tres guttæ, cum pari portionẽ olei gariophillorum, in bombace, vel pomo ambræ gestatæ & odoratæ, catarrhos consumunt, & infectum aërem arcent.*

*Idem præſtant tabulæ cum vna vel altera guttæ olei ſuccini commixtæ. Qua ratione hoc oleum vtiliter, in eiuſmodi corruptione aëris pro vero Europæo balſamo vſurpari poteſt. Non ſolum autem à peſte præſeruat, ſed eadem correptos, fœliciter etiam curat, ſi ſeptem guttæ olei, cum drachma media ſalis abſinthii, in aqua cardui benedicti, vel oxalidis accipiantur, & ager ſe ad ſudoram componat.*

Remediū elegans pro peſte.

*Multi enim huius remedij beneficio, Dei gratia, euaſerunt. Qui ab apoplexia, epilepſia, paralyſi vel alio quodam capitis affectu ſibi metuunt, optimè præſeruari poſſunt, ſi in aqua aliqua appropriata, v. g. betonicæ, lauendulæ, ceraſorum nigrorum, tiliæ, ſaluiæ, cinamomi, gutta vna vel altera, manè aſſumatur. Quod ſi ſtatim à principio inuaſionis paroxyſmi apoplectici vel paralytici 7. vel 8. guttæ huius olei, cum aqua cinamomi, betonicæ, vel lauendulæ accipiatur, loquelā mox reſtituit. Omnes n. corporis facultates imbecillas roborat, humores conſumit, & cerebrum confirmat, aperitque: Vnde oleū hoc medicinis ad capitis deſluxiones fœliciter miſcetur. Vetuſtate tamen inſpiſſatur & craſſius redditur, poſteaquam tenues & igneæ partes exhalarunt. Ætate etiam lenteſcit, & ad bituminis liquidioris conſiſtentiam redire videatur. Qua ratione autem hoc oleum paretur, id apud Euonymum, & Ioannem Guinterium Andarnacum inuenies.*

Pro loquela recuperanda.

No-

*Noſtrum enim inſtitutum non eſt, ſingulorum oleorum compoſitiones explicare; verum vſum tantum, & vires eorundem exactè docere.*

## *DE ACHATE.*

### CAP. X.

LAPIS Achates ſic dictus fuit, quaſi ſociabilis & gratioſiſſimus, ob magnitudinem & varietatem colorum ipſum comitantium: Qui tamen diuerſis nominib. exprimitur, pro diuerſis figuris, cognomina eius mutantibus, quas refert. Repertus fuit primum in Sicilia, teſte Plinio, iuxta flumen eiuſdem nominis, poſtea plurimis locis, numeroſus admodum. Ex quibus principem locum obtinet, *Perileucos* dictus, qui colorem nigrum vel obſcurum oſtentat, extrinſecus albis lineis interſectus marmoris vel eboris inſtar. *Leucachates* dicta, tota alba eſt. *Hæmachates*, ſanguinis colorem repræſentantibus lineis conſperſa eſt. *Corallachates*, guttis aureis, Sapphyri modo diſtincta eſt.

*Achatum differētiæ & genera.*

*Antachates* cum vritur Myrrham redolet. Aliæ leoninæ pelli ſimiles ſunt, quam hodie forte lingua vulgari *Broccatellam*,

appellant, in India aliæ inuentæ, ſpecies fluminum, nemorum & iumentorum, etiam eſſeda, ſtaticula & equorum ormamenta reddunt. Mirabilis Achates fuit ea, cuius idem Plinius libro hiſtor. natur. *37.* c.1. meminit, Pyrrhi illius Epiri regis, qui aduerſus Romanos bella geſſit, quæ nouem Muſas, cum Apolline citharam pulſante, pictas referebat, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, vt Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Commendantur quoque illæ, quæ vitri modo tranſparent & colorem leonatum clarum obtinent, quem Epiphanius innuere voluit, eundem colorem, Hyacyntho ſuo, aut potius Electro, aſſignando. Cæterum omnem Achatem, venenis peſtiferis, ſcorpionum atque viperarum ictibus, aduerſari aſtruunt.

*Achates mirabilis Pyrrhi Regis.*

*Achatum vires.*

## ANNOTATIONES.

Lapis Achates] *Terra vt foris tam admirabilem florum varietatem procreans, ſemetipſam pulcherrimè depingit atque exornat tot coloribus: ſic in viſceribus atque intimo ſinu ſuo gemmarum lapidumque coloribus, & multiplici in ijs effigie, maculisque diuerſiſſimis videtur quodammodo oblectari & placere ſibi. Cernuntur enim in lapididibus ſimilitudines expreſſæ ſtellarum, liliorum, montium, conuallium, arborum, nemorum, flumi-*

num,

*num, quorundam piſcium, galli gallinacei, ſalamandræ, ſimiæ, iumentorum, ornamentorum equeſtrium, curriculorum, rotarum, oculorum, cordis, humanæ faciei, imo humanorũ corporũ. Quales formas præ cæteris omnibus lapidib. recipit Achates corrupte ab Alb. Magno, Agathes dicta, quæ tam varij generis eſt, vt vnum lapidem eſſe non credas. Candida, rubea, crocea, cinerea, viridis, nigra, varia, cærulea. Quid moror? huic vni nec omnium aliarum gemmarum colores ſatisfaciunt.*

Pro diuerſis figuris] *Achates & Iaſpides omne genus colorum recipiunt. Iaſpides tamen appellamus, cum natura magis terreæ ſunt, molliores, obſcuriores, ac magis opacæ. Achates cum magis nitent, & perſpicuitatem quãdam retinent. Quod ſi quis obijciat, Achaten Perileucon dictam, non eſſe prorſus perſpicuam. Reſpondeo, ſi in tenues ac latas laminas diuidantur perſpicuitate non carere, quæ in opaco videtur: vt contra in Iaſpide, in perſpicuitate, inæqualitas, turbulentia atq; obſcuritas, adeo vt conſtet, vtrumque lapidem fieri ex diuerſis ac commixtis materijs atque exhalationibus: Sed Achatem ex tenuibus, Iaſpidem ex terreis, craßis atque impuris: quocirca etiam errores & vitia maiorum ſunt & frequentiora in Iaſpide quam in Achate.*

Coralloachates] *Hanc Solinus corallo ſimilem eſſe dicit, ſed illitam guttis auro micantibus, & ſcorpionum ictibus reſiſtere.*

Mirabilis Achates] *Hanc pulcherrimis versibus expreßit Marbodaus, his verbis:*

*Rex Pyrrhus digito geßiße refertur Achaten,*
*Cuius plena nouem signabat pagina Musas,*
*Et stans in medio citharam tangebat Apollo.*
*Naturæ, non artis opus mirabile dictu.*

*Vidisse se refert Camillus Leonardus Pisauriensis Achatem cum septem arboribus in vna planicie pictis, rem pulcherrimam & visui gratam. Hieronymus Cardanus testatur se habuisse tres Achates varios: vnam cum capite Galbæ, colore ferrugineo, diluto, lineis nigris figuram eam referentibus. Aliam cum multis oculis albis, ac quasi pupilla in medio ferruginea. Tertiam cum effigie ignis ardentis & fumi cærulei: inde aëris circumambientis liuidi, quem quasi cœlum rubrum circumdat, vt vespere cum Sol sereno occidit.*

Pyrrhi Epiri Regis] *Certo satis constat, ante Pyrrhum, Epirotarum regem, cum Romanis bella geßiße Græcorum neminem. Id quod multis verbis in Attica Pausanias conatur ostendere.*

Pyrrhi Epiri Regis ortus & historia.

*Hic autem Rex à magno Achille genus duxit, & à Tarentinorum multitudine, qui Romanorum arma in se concitarant, cum suis viribus diffiderent, frustra maioribus natu reclamantibus, accersitus, cum numeroso exercitu, in Macedonia, Epiro, & Thessalia conscripto in Italiam venit: præmisso Cynea Tarentum cum 3000. equi-*

*equitum, & 20000. peditum, funditoribus & sagittariis 500. & elephantibus viginti, vel, vt Trogus, quinquaginta, à Ptolomeo in biennij vsum missis. Hic Alexandri Magni æmulus creditus fuit, & in Italiam venisse, magis eius occupandæ studio, quam auxilij ferendi Tarentinis. Vbi Tarenti accepit, Val. Leuinum consulem, populari Lucaniam, ad Sirim fluuium ei occurrit. Pugnatum hic acriter est, & minimum abfuit, quin hic perierit. Hasta deiecta, equo confosso, celeri suorum occursu, recentem alium conscendit. Vicit hoc prælio Pyrrhus, cæsis Romanorum 16000. vel vt alij volunt, 7000. Mittitur à Senatu Fabritius, ad redimendos captiuos, ad regem. Idem tentatur multo auro à Pyrrho. Bis sub hac ancipiti prælio pugnatum fuit, nocte dirimente pugnam ad Asculum. Accersitur inter hæc à Syracusanis in Siciliam, vbi fœliciter aduersus Carthaginenses pugnauit, & eorum res grauiter afflixit. Rhegio à Romanis occupato, per literas, à Tarentinis & Samnitibus, in Italiam reuocatur.*

*Ibi Pyrrhus à Curio Dentato, magno prælio superatus fugit ex Italia, amißis in pugna viginti trib. millibus, anno sexto, ex quo in Italiam venerat. Tarento profugit mox in Siciliam: deinde in Epirum rursum traiecit.*

*Statim in Macedoniam irruit, ad postremum Argos occupauit, vbi ab anicula, de tecto, tegula percussus obijt. Qui plura hac de re legere cupit, is vi-*

*videat Florum, abbreuiatorem Liuij lib. 12. 13. 14. Valer. Max. cap. 1. 2. Plinium de viris illustribus cap. 35. Plutarchum in vita Pyrrhi. Aug. c. 17. Eutropium c. 12.*

Sua redderentur insignia] *Nomina, officia, insignia nouem Musarum, describit Hesiodus in principio Theogoniæ. Et Vergilius in opusculis. Latius Diodorus Siculus circa princ. l. 5.*

Cur Achates nostro tempore parui æstimetur.

Achates *olim in magna fuit authoritate: nunc in nulla est, non quod viribus minus quam antiquitus polleat, sed quod sit copiosior.*

*Qua enim occasione solet in rebus humanis elationem fastumque raritas afferre: eadem etiam multitudo & crebrior familiaritas contemptum parere consueuit. iuxta versiculum:*

Quod rarum charũ, vilescit quotidianum.

Achatis vires.

*Colores in Achate rubri, acuere visum creduntur: eandem cor recreare: sitim ore contentam arcere astruunt. Aquilæ Achatem nidis suis imponentes ad defendendum pullos contra venenata, docuerunt, eam ictui Scorpionis alijsque venenis plurimum conferre.*

## *DE AMETHYSTO.*

### CAP. XI.

*Amethystus vnde dicta.*

AMETHYSTVS quasi ebrietatem arceat, græcis inde dicta fuit. Vnde opinio hęc nata esse videtur, quod à crapula & ebrieta-

te

te ferentem vindicet. Alii cauſam nominis referunt, quod ad ruborem vſque vini accedens, priuſquam eum deguſtet, in violam purpuream deſinat, vt purpuræ videlicet fulgor vſque adeo non ſit, ſed in vini colorem euariet. Principatum Amethyſti Indicæ tenent, quæ florem Hyacynthi repræſentant. Prælucet autem colore violaceo, qui tamen poſtea dilutior euadit. Scalpturis præ cæteris gemmis facilis eſt, quæ ſi rarior eſſet, cariori pretio venderetur. In voce Hebræa ſomnium ſignificare dicunt, eo quod digitis geſtata, inſomnia grauia pariat.

*Amethyſtorum electio.*

## Annotationes.

In violam deſinet] *Facetè ludit Plinius, dum inquit: Vix audet guſtare vinum, hoc eſt, puſillum è colore delibat. Oritur autem hic color è puro, nec diluto nigro, ſplendore igneo immixto, vt in acinis vuarum fit.*

Scalpturis præ cæteris] *Amethyſtus eiuſdem pene molliciei cum Cryſtallo, ſimulq; ſæpe vnà inueniuntur, albaque à Cryſtallo vix diſcerni poteſt, colore violæ purpureæ, viſui admodum grata eſt.*

*Miſnia quoque celeberrima & fertiliſsima Germaniæ Regio, Amethyſtorum ferax eſt. Eruitur enim Wolckenſtaini, è fodina, quæ ex Amethyſto nomen inuenit. Eiuſdem quoque prouinciæ, riui quidam hanc gemmam pariunt, præcipueque riuus*

Amethyſti vbi eruantur.

*uus quidam supra arcem* Hohenstein / *quæ miliari vno, à Stolpa Misniæ Ciuitate, distat. Reperitur etiam in flumine Trebisa prope Misenam. Eadem etiam in Bohemicis montibus colligitur. Similiter quadrangula & sexangula, in Geode Monteschano. Quæ tamen inter se differunt: quædam enim ad formam Crystalli descendit, quædam verò sunt impuriores, lineis crystallinis distinctæ, quæ Venetijs expoliuntur & Constantinopolim auehuntur, quibus mulieres Turcicæ ad decorem vtuntur. Alpes quoque Sedunorum hanc gemmam viliorem tamen producunt.*

Amethysti orientales qua ratione à Misnensibus Æthiopicis & Bohemicis distingui debeant.

*Qua ratione vero veræ orientales Amethysti ab Æthiopicis, Misnensibus, & Bohemicis distingui debeant, id docet Georgius Agricola, his Hyacynthi nomen tribuens, sequentibus verbis: Color Amethysti magis ruber est, Hyacynthi nigrior. Fulgor vero purpuræ in Amethysto emicat; non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens, vt sit leuiter roseus nitor. In Hyacyntho est dilutus, primo quoque aspectu gratus euanescit (vtor Plinij verbis) antequam satiet, adeoque non implet oculos, vt pene non attingat, marcescens celerius nominis sui flore. Amethystorum varia genera vide apud Plinium lib. histor. natur. 37. cap. 9.*

Amethysti vires.

*Aristoteles autor est, Amethystum vmbilico admotam vini vaporem primum ad se trahere, deinde eum discutere, proindeque ebrietatem re-*

pri-

*primere: acuit ingenium, & somnum minuit. Vapores enim à capite arcet. Creditur etiam venenis resistere.*

## DE CHRYSOLITHO.

### Cap. XII.

Chrysolithi nomen idem sonat quod gemma aurea, cum hæc gemma reuera aureo colore transluceat. Illi præterea qui hāc Hyacyntho cæruleo comparant (quemadmodum supra de Lyncurio diximus) minime florem, sed ambram, colore aureo perspicuam, intelligunt. Nonnulli scriptores hanc rutilantem, flammeam, Pyropon appellant. Differt à Topazio, qui colore magis rubet, & splendore aliquanto plus ad candidum colorem, & marinæ aquæ virorem definit. Electas Chrysolithos Æthiopia mittit: Arabicæ vero magis turbidæ sunt & variæ, & fulgoris interpolati, nubilo macularum, & quæ limpidæ contigere, veluti scobe sua refertæ. Amuleti loco, in sinistro præsertim brachio deligatæ, à fascinationibus ferentem tuentur.

*Chrysolithus qua ratione à Topazio differat.*

*Chrysolithi vires*

An-

## ANNOTATIONES.

*Chrysolithus ab auro nomen habet, propter similem colorem. Perspicua est & prædura. Refrigerat adeo manifeste, vt sub lingua detenta, sitim febricitantibus extinguat. Quod quamuis etiam Crystallo & alijs pluribus gemmis commune sit, non tamen adeo euidenter.*

*Debet tamen aqua frigida sæpius refrigerari. In auro posita & in sinistro brachio portata, Dæmones terrere & fugare dicitur, timores quoque nocturnos & melancholiam minuere & depellere, intellectum confortare, & molestis insomnijs aduersari. Id quod Franciscus Rueus crebro se fuisse expertum testatur.*

**Pro molestis insomniis.**

*Hoc loco non possum præterire notabilem historiam, quam Hieronymus Cardanus, de admirandis curationibus refert de viribus Chrysolithi, his verbis: Cæsarem Palauicinum, aliumque nobilem ex oppido Gallarati, melancholia & comitiali morbo, alternatim (quorum vnus iam quindecim diebus cum febre; Palauicinus alter, iam sex mensibus, sed sine febre, verum cum clamoribus) laborãtes, & frustra à Medicis vexatos, somniferis lotionibus capitis, solo potu pulueris Chrysolithi ex vino, in octo dierum spacio sic liberaui, vt nunquam morbus redierit. Sanguinem è vulnere fluentem, superalligata sistit: libidinis incendia compescit. Chrysolithum tritam & potatam,* vni-

*vniuerſalibus præmiſſis:, Aſthma & Orthopnœam curare Albertus docet quam horis matutinis pulcherrimam apparere dicit, in aliis horis non adeo formoſam & ſibi diſſimilem, corrumpique eam & fugari ab igne, quia ab illo inflãmetur. Aiunt quoq; Chryſolithos in Germania naſci, in iugis ſcilicet Miſniacis & locis conterminis, ſplendore tamen ad candidum languido, quam aliæ magis fragiles & molles, adeo vt poliri non poſſint.*

Chryſolitus vnde corrumpatur.

## *DE BERYLLO ET CRYſtallo.*

### Cap. XIII.

Beryllvs Epiphanio teſte, gemma glauca eſt, colore quieti maris, aut Hyacynthi dilutioris. Naſcitur circa finem montis Tauri, & in Euphratis littoribus. Hos Plinius originem in India habere refert, raroq; alibi reperiri. Poliuntur omnes ſexangula figura, artificum ingeniis: quoniam hebeſcunt ni color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur. Aliter enim politi, non habent fulgorem eundem. Probatiſſimi ſunt ex iis, qui viriditatem limpidi maris referunt. Proximi qui vocantur *Chryſoberylli*, paulo pallidiores, ſed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic eſt pallidius, & à quibuſdam proprii generis exiſtimatur, vocatur

*Beryllorũ patria.*

*Beryllorũ electio.*

*Chryſepraſus* eo quod porri colorem referat. Quarto loco numerantur *HyacynthiZontes*, colorem Hyacynthi diluti præ ſe ferentes: Quinto quos *aeroides* vocant, viridiores, qui ab ære nomen acceperunt. Poſt eos autem *Cerini*, à ceræ, ac deinde *Oleagini*, hoc eſt, coloris olei. Poſtremi Cryſtallis ferè ſimiles ſunt. Hi capillamenta habent ſordesq; alioquin euanidi, *quæ ſunt omnium Beryllorum vitia communia. Beryllus, Cryſtallus & Adamas*, inter ſe collati prima fronte omnes inter ſe conuenient, poſtea vero vnus ab alio facile diſcernetur. Cryſtallus enim cum ſexangulis videbitur lateribus ſua natura politis, & in acutum mucronem finientibus; quorum læuor ita abſolutus eſt; vt nulla id arte poſſit æquari, qui in nõnullis Apennini montis cautibus, maiores vero in Alpium iugis eruuntur, quorum tamen aliqui obſcuriores ſunt. Sexangula prætera cernetur gemma Iris, ex argumento vocata. Nam ſub tecto percuſſa Sole, ſpecies & colores arcus cœleſtis in proximos parietes eiaculatur, ſubinde mutans, magnaque varietate admirationem ſui augens. Quæ tanto maior quoque eſt, eò quod in ſole aperto radios in ſe cadentes diſcutiat. Hos omnes lapides Beryllus nitore ſuo ſuperat, & in ſplendore variat, colorem auri, vel Hyacynthi vel limpidi maris virorem

*Beryllus, Cryſtallus & Adamas quomodo differant.*

rorem reddens, prout dictum est. His non multum absimilis, quod ad luciditatem externam & angularem, erit Adamas, exilior tamen & incomparabilis, excellentia sua omnibus superior, quemadmodum postea post Onychis explicationem dicemus.

Annotationes.

*Beryllus à gentibus apud quas prouenit, nomen habet.*

Vicinum genus] *Chrysoprasus his præcedentibus pallidior, trahit mixtam lucem ex auro & porraceo. Hunc propter guttas aureas, in coagulato quasi porri succo, prasij fecere speciem*

Hyacynthizontes] *Græci* ζωννεῖν *ligare dicunt,* ζώνην *Zonam.* Hinc Hyacynthizontes, *Hyacynthi quasi zona & cingulo quodam circumligatæ. Vnde maximè inter Hyacynthos probati sunt.*

Aëroides] *Colore nimirum albicante cum parcissimo cæruleo qui dilutior forte est quã glaucus.*

Quæ sunt omnium Beryllorum vitia communia] *Infestantur plurimis vitijs, scabro, ferrugine, maculosa nube, occulta aliquando vomica, præduro fragilique centro, & sale appellato. Est & ruffa aliquibus rubigo. Alijs capillamentum rimæ simile. Hoc artifices litura occultant.*

Beryllus, Crystallus & Adamas] *Si quis interroget, in quibus Adamas à Crystallo differat, cum vterq; niteat, & coloris sit candidi, vel potius*

*aquei? Dicemus nitorem Adamantis eße viuacem & robustum, vt non solum niteat & splendeat, sed rutilet quoque & micet: præterea, ferro vdo, igne, vetustate, vsu, impermutabilem esse, quorum nullum Crystallo conuenit celerrime senescenti. Trahit & festucas Adamas si incalescat, non secus ac electrum, sed obscurè satis, ob paruitatem: vbi Crystallus nihil agit.*

Iris vnde dicta.

Iris quid.

Sexangula præterea] *Vbicunq; Crystallus eruitur, plerunq; Iris quoq; inuenitur, sic dicta, quoniam figuram & colores Iridis arcus cœlestis plurimū imitetur. Itaquæ quidā radicem Crystalli esse dixerunt. Et reuera nihil aliud est, quam purissimus & albißimus Crystallus Iris sexangula, ratione quorum angulorum hunc splendorem de se fundit.*

Beryllorū electio.

Beryllorū vires.

*Inter Beryllos qui magis pallet, melior est, eundemq; ferunt contra pericula hostium valere. Sphærica forma si fiat, & radiis Solis opponatur, ignem emittit, vt specula concaua & Crystalli, & manum gestantis exurit. Si inuoluatur Beryllus in panno lineo, & ponatur in aqua, vel etiam sine panno videtur aqua moueri. Valet contra vitia epatis, suspiria, eructationes, suspēsus, prohibet paristhmia, & faciei, gulæ, orisque morbos. Illius ex aqua dilutum (infusionem nostri Seplasiarij vocant) oculos humidos sanat.*

Pro oculo vulnerato.

*Si quis accepisset vulnus in oculo, siue id factum fuerit in pupilla, siue in reliquis oculi partibus: ac-*

*accipe Beryllum, quem in mortario optime contunde, & postea per setaceum traijce, inde tenuissimè illum tere, de quo omni mane supino iacenti homini, ad magnitudinem lentis in oculum infunde, quem postea clausis oculis, immotum, supinum cubare iube, quod repetatur toties, donec conglutinetur. Et quanquam fieri vix potest, vt visionem recipiat pupilla vi scissa, huius tamen beneficio oculus meliorem formam acquirit. Quod si læsio extra pupillam constiterit, beneficio huius medicinæ præclarè iuuabitur. Prodest enim egregiè contusionibus & conquassationibus oculorum, siue pugno, vel baculo, vel alio quodam corpore graui, contusio illa facta fuerit, sicut multorum experientia constat.*

Crystallus & eius origo.

Crystallus gemmarum mollissima & tenerrima est, *& ab illa ordo gemmarum incipit, faciendis poculis apta, in quibus liquores non facile concalescunt. Caloris enim adeo est impatiens, vt ex ea facti calices, calido humore infuso rumpantur. Vnde poculis crystallinis maxima autoritas, quæ in frigido potu maximè commendantur. Hæc ex gelu vehementiore concreto fit (vt autor est Plinius lib. 37. suæ historiæ naturalis, cap 2.) nec alibi reperitur, quam vbi maximè hibernæ niues rigent. Albertus Magnus ex frigore; interdum ex niue gigni prodidit. Id videtur probari ex etymologia nominis. Græci enim κρύος, frigus, vel gelu dicunt, ϛέλλω, contraho: sicque Crystallus non*

*nisi concretum gelu esse dicitur. Eiusdem opinionis est Gregorius super primum caput Prophetæ Ezechielis. Habet, inquit, aqua ex se fluiditatem, sed per frigoris violentiam, in Crystalli conuertitur firmitatem. Vnde in Ecclesiaste scribitur, Flauit ventus Aquilo, & congelauit Crystallum. Huic tamen sententiæ refragatur Solinus. Nam si ita foret, inquit, nec Alabanda Asiæ, nec Cyprus insula hanc materiam procrearet, quibus admodum calor iugis est: imo etiam igni vel Solis feruori admota, statim liquesceret, quorum neutrum contingere, quotidiano testimonio docemur. Quin & glacies aquis innatat, Crystallus protinus subsidit. Hæc tamen verbalis differentia, ex verbis Diodori Siculi, circa finem libri tertij euidenter dissoluitur. Crystallus, inquit, lapis, ex aqua oritur, puta congelata, non quidem à frigore, sed diuina caloris vi, quæ duritiem seruet, variosque colores suscipiat. Huius rationem assignat Aristoteles in lib. Meteor. Lapidea de substantiis mineralibus materialiter sunt aqua, vt dicit Richardus Ruffus, Lapides vel lapidea mineralia sunt de aqua; sed tamen quia habent de terrea siccitate plus quam liquabilia, ideo non congelantur solo frigore aquoso, sed etiam terrea siccitate, quæ permutat aquosum terreum in vitreum, quando super aquam dominatur.*

*Effoditur ex marmorum saxorumque canalibus,*

libus, reperiturque in venis tam metallicis, quam proprijs, multis sane regionibus, Scythiæ, Cypri, Hispaniæ, Germaniæ, sæpè in agris, vbi coloni aratro glebas effodiunt.

Crystallus, vnde erua tur.

Constat autem ex succo omnium purissimo in terræ visceribus recondito. Quapropter insigniter clara ac perspicua visitur, modo alijs sui generis bonitate præstet.

Crystallus sub lingua posita, sitim restinguit. Hæc bene trita, cumque melle bene depurato mixta, & ad bibendum data mulieribus lactantibus earum vbera replet & lac à proprietate prouocat, vt docuit Christophorus Barzizius, magni olim nominis medicus. Idem præstat, si cum vino vel brodio sæpè bibatur. Eadem in puluerem tenuissimum trita, ex vino austero, dysentericis opitulatur: nec non alba vteri profluuia compescit. Somnia appensa soluere creditur, & vertiginem fugare. Vnde à Germanis Crystallus Schwindelstein appellatur. In acutis febribus, confert ægrum in manibus tenere frustum Crystalli sæpius in aqua frigida rosacea infusum. Similiter & in ore tenere frustum Crystalli aqua sæpius aspersum. Crystallus puluerisata & drachmæ 1. pondere, cum oleo amygdalarum dulcium exhibita, præsentaneum affert remedium ijs, qui argento sublimato toxicati sunt. Inter omnia vero simplicia, nihil est æque venenatum, quod semihora & minori spatio, exedendo interficiat, quam argẽtum sublimatum.

Crystalli vires.

Lac mulieribus quæ prouocent & multiplicent.

Pro argento sublimato.

Argenti sublimati prauitas.

*Nam omnia intrinſeca , & præſertim præcordia, velut ignis vrit.*

*Cuius rei fidem facit excellentiſsimus Medicus, Antonius Muſa Braſſauolus, Ferrarienſis Ducis Archiater, qui quandoque linguæ apice ſublimatum tangens, vt eius guſtum ſentiret , intumuit protinus lingua, & extremis vti refrigerantibus opus habuit.*

*In fluxu ventris orto ex cholera praſsina ſeu æruginoſa eodem modo exhibita, mirabiliter conuenit , & eſt materiæ talis ſuum proprium Bezoar correctiuum, teſte doctiſsimo Guaynerio.*

*Quia etiam cauterium ex pila Cryſtalli fieri ſolet , quo delicati homines qui ferrum candens reformidant , vruntur.* Oleum Cryſtallorum & eius vires. *Ex Cryſtallo oleum arte chymica præſtantiſsimum fieri ſolet , quod drachmæ ſemis vel vnius pondere , ſingulari remedio, ad calculum renum & veſicæ atterendum , comminuendum, expellendum , & vrinam promouendam ex aqua cardui benedicti datur: nec non ad lac muliebre augendum ex lacte Amygdalarum dulcium: vel brodio gallinæ, in quo radix & ſemen fœniculi decocta ſint. quamuis eadem etiam cruda in tenuiſsimum puluerem redacta, eodem pondere, eademq; aqua vtiliter exhiberi poſsit, ſic Matthiolo & Andernaco docentibus.*

DE

## *DE ONYCHE.*

### Cap. XIV.

VLtima gemma ſacra, Epiphanio *Onyx* vel *Onychium* dicitur. Eſt hæc valde flauo colore, qua Regum & diuitum hominum ſponſas, quæ hanc gemmam in poculorum vſus conuertunt, plurimum delectari aiunt. Quæ cauſa fuit, vt nonnulli dubitauerint, vtrum hæc ob magnitudinem ſuam hoc loco inſeri, vel inter gemmas referri debeat, quæ ob exilitatem ipſarum in pretio ſunt. Vnde non deſunt, qui hanc ſpeciem quandam Alabaſtri eſſe dicant, in quo antiqui vnguenta pretioſa reſeruare ſolebant. Quod Plinius Crocinum nuncupauit, eò quod crocum in aqua diſſolutum, colore referat. Pōtanus vero candidum appellauit, denotando nitorem coloris flaui. Quo loco animaduertendum eſt, ex duodecim gemmis, quarum mentio in Apoca. fit, loco Onychis haberi Sardonychem. In qua tamen re nullus error commiſſus fuit; verum ambo hæc loca propter duas rationes conciliantur. 1. ſicut bene noui interpretes docent, vox Hebraica Schoam eſt ambigua, quando textus dicit: In ſuperhumerali tunicæ Aaronis, erant duo magni Schoam; ſeptuaginta

Bibliorum interpretes verteruntChrysoprassos aut Smaragdos. Iosephus scribit lapides illos fuisse Sardonyches:hoc loco tamẽOnychem vertit, allegando, quod Schoam, lapidem quendam pretiosum, candidum,& plures habentem varietates significet. Pra terea, magis verisimile est, superhumerale,non duas Onychas, sed Sardonychas continuisse, quæ vox (quemadmodum de Sardio lapide dixi) ex binis lapidibus, Sardio & Onyche, qui nobilitate & splendore ambos superat, componitur. Vnde bonus quidam Poëta concludit, Onychem relinquendam esse, si Sardonyche suppetat. Qua ratione etiam tres alię gemmę,alio atq; alio nomine in pallio sacerdotali Aaronis & Apocal. appellatæ,accordari possunt. In hac ponitur Hyacynthi quædam species, colorem citrinum repræsentans: in illo vero Lyncurius. Et vbi in Exodo reponebatur Carbunculus, hoc loco Chalcedonius dicitur, cum species Carbunculi existat. Achatis vero loco, gemmæ plures varietates habentis, posteriores cum S. Ioanne, Chysoprassium substituerunt, gemmã multo pretiosiorem, & Aaronis ornatu digniorem. Onyx in Arabia fœlici & India prouenit. Mentis passionib. plurimum conducit, sensusq; viuificat. Platearius medicus insignis, vniuersis oculorum infirmitatibus, sum-

*Onychis vires.*

ſumme conferre aſſerit, ſi oculum exterius tantum hæc gemma circũcirca tangat, cum virtus ipſius penetret interius, & omnem prauum humorem expellat, viſumque ab omni periculo præſeruet.

## ANNOTATIONES.

*Onyx Græcis eſt vnguis. Vnde & gemmæ nomen, à cuius ſimilitudine ſic appellata fuit.*

Quæ cauſa fuit] *Quia gemmæ natura paruæ in locum marmorum ſubſtituuntur, ſi magnæ naſcantur, vt Agric. docet. Fruſta namq; huius magna inueniuntur, adeo, vt non gemmæ, ſed potius marmoris genus eſſe videatur. Romæ.n.in Baſilica S. Pet. ſex columnulæ ex hoc lapide cõſtantes conſpiciuntur. Coloniæ Agrip. in templo trium Magorum, ſiue vt vocant alij, Regum, onyx adhuc extat latior palmo, de quo Alb. olim, nunc vero Agric. refert, candidas venas ſic illum diſtinguere, vt duorũ iuuenum capita exprimant, rurſus nigras, quæ ſerpentem effingunt, è ſummo capitis vertice vnius in imum alterius deſcendentem. In mandibula quoque vnius ex iuuenibus imago apparet capitis Æthiopis cum barba nigra, reliquum lapidis, vnguis colorem (vt plerunque ſolent hi lapides) exprimit.*

Onyx & eius genera.

Vnde non deſunt] *In hac opinione eſt Hieronymus Cardanus, qui exiſtimat Onychem alabaſtrũ antiquorũ eſſe, noſtro vero multo pretioſius*

*quo*

*quo seruari debeant vnguenta: neq; enim remittit, sed ob suam frigiditatem diutißimè in eo odores conseruãtur. Optima est Indica, subcærulea, atque admodum visui grata. Genus est aliud cæruleum, pallens in summo, & opacum, in imo autem nigrum, quod vocatur Nicolus. Tertium genus ferruginei est coloris in supremo, in imo, nigri, in medio candidi: vocatur à plerisque oculus. Arrianus Philosophus & historicus, ter Onychini lapidis mentionem facit, eumque in BarygaZeno sinu atque Dachinabade, hoc est, Australi Indiæ regione nasci scribit: quod sacris literis conuenit, quæ illum in terra Hauilah, hoc est, India citra Gangem reperiri testantur. Mithridatem Ponti Regem circiter 2000. poculorum, ex Onyche gemma factorum, in sua supellectile habuisse Appianus testatur. Hinc satis constat, cum aliarum gemmarum, tum inprimis Onychis, ex qua tot Mithridati fuerunt pocula, magnam in Ponto fuisse abundantiam.*

Onychis vires.

*Hæc gemma plures dicitur habere effectus noxios. Nam vt dicit Dioscorides, collo suspensa, vel digito portata, timorem & tristitiam excitat, lites multiplicat, animos ad rixas cõmouet, in pueris saliuã superfluã & noxiã excitat: cõitiales creditur prohibere ne cadant. Platearius infirmo oculo apponendam Onychem suadet. Hanc enim sponte quasi rem sensatam, sine læsione subintrare, ac sine molestia circumferri, & humorem contrarium* ex-

*excernere dicit: quod fermè commune eſt lenibus leuibusque lapillis. Non poteſt nocere in præſentia Sardij. Specularem habet naturam & politam: & ideo ad modum ſpeculi, imagines & figuras, obſcurius tamen, repræſentat. Duæ Onyches ſub menſa, vt fieri ſolet, confricatæ, adeò inardeſcunt, vt manus earum colorem vix ferre poßint.*

## *De Adamante qvem geſtabat ſummus Pontifex, dum ter in anno ſancta ſanctorum ingrediebatur.*

## Cap. XV.

PRæter ſupradictas duodecim gemmas pretioſas, ſacerdos ſummus, tribus vicibus ſancta ſanctorum intrando, ſuper pectus pretioſiſſimum Adamantem geſtare ſolebat, quod ter in anno contingebat, nimirum Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum feſto. Ponebatur autem, vt dictum eſt, ſuper pectus ſummi Sacerdotis, vbi is talarem veſtem, & ſuper talarem, humerale, (quod hodie Scapularium pontificale appellāt) induiſſet, quod paulò infra pectus deſcendebat. Erat enim eius longitudo ſeſquipalmi. A dextris & ſiniſtris, ſupra mammillas, vbi ceu duo parua ſcuta, auro intertexta conſuta erant, duo pendebant Smaragdi. In medio

autem horum erat iam dictus Adamas, aërem colore referens. Hoc ornamento summus Sacerdos in eiusmodi solennitatibus populo se præsentabat: qui si peccasset, & leges Dei transgressus fuisset, Adamas ille colorem suum mutabat in obscurum. Quod si Deus populum voluit subiicere gladio, lapis reddebatur cruētus: si autem imminebat mors & vindicta Dei, lapis fiebat niger. Niuis vero candorem vbi referebat, tunc populus sibi lætus gratiam Dei pollicebatur. Vnde cum solennitate sacra illa celebrabant. Cæteris vero diebus, sicut Rabbi scribunt, & quando pro expiatione vituli aurei sacrificabant, in pœnitentiæ signum, absque vllo ornamento talari, & humerali lineo vestiti incedebant.

*Adamantis vocabulum quid significet.*

Quod ad historiam naturalem, vocabulum *Adamantis*, interpretatione Græca, sic exponente S. Hieronymo, indomitum significat, qui igni resistit, imo longe durior euadit, nec incudis vi rumpi potest, quin potius eius ictum ita respuit, vt ferrum vtrinque dissultet, incudesque etiam ipsæ dissiliant. Hinc quælibet res dura & inexpugnabilis, Adamantina vocari consueuit. Nihilominus tamen, mirum dictu, inuicta illa vis, duarum, violentissimæ naturæ rerum, ferri ignisque contemptrix, solo hircino

rum-

rumpitur ſanguine, nec aliter quam recenti calidoque macerata.

Et cum fœliciter rumpere contingit, in tam paruas frangitur cruſtas, vt cerni vix poſſint. Expetuntur à ſcalptoribus, ferroque includuntur, nullam non duritiē ex facili cauantes. In quodam Cryſtalli genere, Solino teſte, inuenitur, materiæ in qua naſcitur, omnino ſimilis ſplendore liquidiſſimo, in mucronem ſexangulum, vtrinq; ſecus, leuiter turbinatus. nec vnquā vltra magnitudinem nuclei auellanæ reperitur. Magnetis more ferrum attrahit, cum quo tamen vſq; adeo diſſidet, vt iuxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi, vel ſi admotus magnes ferrū traxerit, quaſi prædā quandam q̃cquid Magneti hæſerit, Adamas rapiat atq; auferat. Eſt etiā alia eius ſpecies, Androdamas appellata. Inde Cyprius vocatur, à loco in quo fuit repertus, in Cypro ſcilicet inſula, in æreum colorem vergens. Poſt hunc eſt Syderites, ferrei ſplendoris, pondere ante cæteros, ſed natura diſſimilis. Nam & ictibus frangitur, & alio Adamante perforari poteſt. Antiqui ſemper exiſtimarunt Adamantem diuinis virtutibus præditum eſſe, adeo vt auro vel argento incluſus & appenſus, vel annulis ſeptus, vel ſupra cor portatus, hoſtium furorē demulceat, metus vanos à mente expellat, lymphationes

*Adamātis origo.*

*Adamātis ſpecies.*

*Adamātis vires.*

abi-

abigat, insomnia vana & terrentia arceat, & venena irrita faciat.

## ANNOTATIONES.

Adamanti vnde nomen fuerit inditū.

Interpretatione Græca] *Adamanti ex natiua duritie nomen inditum est, quod scilicet ob eius insuperabilem duritiem vix frangi possit. Sumptum nomen ab ἀ priuatiua particula, & δαμάζω verbo, quod domo & supero significat. Hinc Adamas indomabilis dictus.*

Adamas vnde duritiem illam acquisiuerit.

*Duritiei causam, tam in Adamante, quam in reliquis lapidibus, natiuam siccitatem Philosophi prodiderunt. Serapio scribit Adamantem esse frigidum & siccum in quarto gradu, aitque has duas naturas raro aggregari in aliquo lapide. Quæ durities efficit, vt is maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas pretium habeat. Diu, inquit Plinius, non nisi Regibus, & iis admodum paucis cognitus, vnus modo in metallis repertus, perquam rarò comes auri, nec nisi in auro nasci videbatur.*

Adamātis pretium.

*Illud præcipuum Adamanti, quod eius ramenta etiam sunt pretiosa. Nam scrupulus vnus sex aureis venditur, Cardano id asserente. Duritie enim omnes gemmas diuidit, cælaturæ non tantum commodus, sed etiam necessarius: siquidem non ab alio fermè quam à sua scobe atteritur & expolitur. Eadem etiam causa referunt, quod non obscuram habet rationem, cuspidem illitam puluere Adamantis, seu teli sit, vel sarissæ, aut gladii vel sagittæ,*

faci-

*facile omnia arma, vt loricam, galeamque posse traijcere. Incalescit enim ictu ferrum seu chalybs, & obuium ferrum penetrat. Hoc igitur & tenuitatis summæ, & duritiei in Adamante argumentum sit.*

Hinc quælibet res] *Adamantis duritia in prouerbia abijt. Adamante creati. Adamante durior. Adamantina tunica. Adamantini claui. De homine qui neutiquam à proposito flecti potest. Vtuntur ijs Statius lib. 1. Sylu. Hesiodus li. 1. Georgic. Horatius 1. & 3. Carm.*

Prouerbia ab Adamãtis duritie desumpta.

Et cum fæliciter] *Non omnis Adamas tanta duritie deprehenditur: nam Cyprius & Siderites malleorum ictibus franguntur, & alio Adamante perforantur.*

*Quare eos vt degeneres nominis tantùm autoritatem habere, ait Plinius. Liquido plumbo in ardentibus fornacibus ita incalescit, vt dissoluatur.*

In quodam Crystalli genere] *Quoniam hæc Adamantis species eodem loco vbi & Crystallus prouenit, reperitur, non mirum si Adamas hic sit plurimum Crystallo consimilis. Vnde Plin. Indici, inquit, non in auro nascentis, sed quadam Crystalli cognatione: Siquidem & colore translucido non differt, & laterum sexangulo læuore turbinatus in mucronem.*

Cum quo tamen vsque adeo] *Quæ de Adamantis & Magnetis pugna se vidisse D. Augustinus refert, lege apud eundem cap. 4. lib. 21. de ciuita-*

*te Dei. Paruus Adamas virtutem magni magnetis ligat, licet Cardanus id neget. Sunt qui scribant Magnetem ad præsentiam Adamantis, item ex inunctione olei aut succi ceparum ferrum non trahere, quod experti idipsum sæpè sint. Alij non obscurioribus experientijs freti, hoc figmentum esse putant. Quos ita fortaßis conciliaueris. Magnetum plura sunt genera: Alij his impediuntur, alij minimè.*

Adamantum differentiæ & species vnde desumantur.

Est & alia eius species] *Quæ quotue sint Adamantum species abunde refert Plinius cap. 4. lib. vltimi. Aduertendum, Adamantum differentias interdum sumi ex locis in quibus proueniunt: aliquando ex colore eorum: sæpè ex habitu & forma: ab eorum frequenter duritie: nonnunquam effectus eorum varij speciem aliam & naturam arguunt.* Androdamas a. sic dictus est, ἀπὸ τῦ ἀνδρὸς καὶ δαμάζω, *hoc est, à domandis viris. Argenti nitorem habet vt Adamas: Quadratus, & semper tessellis similis magnis, putantque nomen impositum, eo, quod impetus hominum & iracundias domet.*

Androdamas vnde dictus.

Siderites vnde nomen acceperit.

Post hunc est Siderites] *Siderites à colore nomen habet. Græci enim* σίδηρον *ferrum dicunt:* σιδήρεον & σιδηρὸν *ferreum.*

Adamãtis vires.

Antiqui semper existimarunt] *Adamanti vires fere diuinas tribuunt philosophi, efficaciores tamen in auro: quanquam quibusdam placere inueniam, ferream quandam tenuißimam bracteam*

*sub-*

*substerni debere. Contra venena & incantationes, amuletum esse præsentaneum testantur, qui Adamantem præsente toxico madere confirmant. Ideoque pestiferis causis resistere creditur, negantq; ferentem fascinari posse, adeò sc. cacodæmonibus inuisus esse perhibetur. Ab incubis & succubis eum qui Adamantem portat, tutum esse aiunt. Adamas ex aqua tritus, pilos retinet, ex aceto, albos reddit, virtutem habet fortiter abstergendi, quod se Serapio expertũ esse testatur quod abstergat dentes & mundificet. Inuenitur quandoq; in Scotia, vt referunt: pulcherrimi tamen ex oriente aduehuntur. Similiter in regno Bohemiæ vberrimè prouenit; molliores tamen hi sunt nec non exigui pretij. Rudimenta enim eius ad Albim fluuium, non procul ab ostio Tangræ inueniuntur. Maxima Adamantis quantitas, auellanæ nucis magnitudinem & formam æquare perhibetur.*

Adamãtes vbi inueniantur.

Hostium furorem demulceat] *Reconciliationis gemmam, veteres dixere Adamantem, quod dißidia inter maritum & vxorem componere, & hostilem compescere furorem consueuerit, potißimum læuo alligatum lateri.*

*Notandum hoc loco est, Adamantem à colore corrumpi, & vires suas & colorem amittere. Ideo qui ipsos præseruare volunt, cum vesperi eunt dormitum, sibi annulum extrahunt, & in cyathum aquæ frigidæ ponunt, vel illum supra marmor, aut in alio frigido loco collocant.*

Adamantem quid corrũpat.

## *DE MARGARITIS PRETIOſis à S. Ioanne ſupradictis duodecim adiunctis, quæ ſub cæleſtis Hieroſolymæ figura, agnum immaculatum ſignificabant.*

## CAP. XVI.

DVODECIM gemmarum ſummi ſacerdotis habitum exornantium, vtpote cæteris multo nobiliorum & digniorum Ezechiel quoque propheta capit. 28. mentionem fecit, dum regi Tyri ſuperbiam ipſius exprobraret, cuius corona pretioſiſſimis gemmis ornata erat: quibus aurum & argentum quoque adiunxit. Vltimo, glorioſus S. Ioannes in Apocal. eaſdem gemmas recenſet, nomina quædam mutando, quibus Margaritas, quas nos *perlas pretioſas* nuncupamus, ſuperaddit. Deſcribens enim fundamenta Hieroſolymæ cœleſtis dicit: Et lumen eius ſimile lapidi pretioſiſſimo, tanquam lapidi Iaſpidi & Cryſtallo. Et habebat murum magnum & altum, cum portis duodecim: & erat ſtructura muri eius ex lapide Iaſpide. Ipſa vero ciuitas erat aurum mundum ſimile vitro mundo, cuius fundamenta, duodecim lapidibus pretioſis ornabantur, qui ſecundum Auguſtini interpretationem

in

in Pſalmorum explicatione, duodecim Apoſtolos deſignant. Fundamentum primum erat Iaſpis, S Pétrus, 2.Sapphyrus, S. Paulus, 3. Chalcedonius.S. Ioannes.4.Smaragdus. S. Iacobus maior. 5. Sardonyx. S. Iacobus minor. 6.Sardius, S. Andreas.7. Chryſolithus, S.Matthæus. 8. Beryllus, S.Simon. 9.S.Bartholomæus. 10. Chryſopraſus, S. Thomas. 11.Hyacynthus, S.Philippus. 12. Amethyſtus, S. Iudas Simonis frater. Vltimo adiungit Margaritas, quæ Chriſtum ſignificant, agnum immaculatum: propterea in Euangelio, *pretioſiſſimæ* vocatæ. Sunt qui inter gemmas minimè referant, cum ex terræ mineris non creentur, virtute cœli & ſtellarum mediante: ſed Plinio ſcribente, proprius concharum marinarum partus exiſtunt, & licet in mari naſcantur, cum cœlica tamen natura vberiorem quam cum æquorea, conſenſum & naturam obtinuiſſe manifeſtum eſt: quin potius margaritarum generatio longe maiori admiratione digna eſt gemmarum productione. Origo atque genitura conchæ nota eſt, haud multum oſtrearum conchis differens: ſed ex nobiliſſima natura conſtant, quales ſunt purpuræ à principibus in delitiis habitæ, in quorum etiam repoſitoriis ſtudioſè aſſeruantur. Has vbi genitalis anni ſtimulauerit hora, pandentes ſeſe

*Margaritarum origo.*

quadam oſcitatione impleri roſcido conceptu, à cælo defluente, tradunt. Maiorem vero eis cœli ſocietatem eſſe quam maris, hoc inde, tanquam ſigno certiſſimo, euincitur, quod pro varia cœli & aëris diſpoſitione, ipſæ quoque varient & mutentur. Si enim ros ille purus influxerit, candor in illis conſpicitur: ſi vero turbidus, & fœtus ſordeſcit & pallet. Quod ſi tempeſtiue ſatientur, & partus grandeſcit: ſi fulguret, comprimuntur, ac pro ieiunii modo minuuntur. Si vero & tonuerit, pauidæ & compreſſæ, abortus pariunt, quos phyſemata vocant, ſpeciem modo inani inflatam ſine corpore.

Creſcente Luna & ipſę creſcunt, deficiente, obſcuræ, gibboſæ, & tortæ euadunt. Inſtinctu vero cœleſti cōchæ prędite ſunt, quæ gregatim per mare natantes, piſcatores clauſo ore fugiunt, à quorum manu ſi comprimantur, gnaræ propter illas ſe peti, hanc ſi præueniant, acie ſua abſcindunt. Quarum nobilitatem tertia quadam ratione concludo, quod præter particularem concurſum & benignitatem cœli (quod ſingulis rebus creatis vim peculiarem influit) & vltra materiam propriam, & ad talem generationem diſpoſitam, regulatur minimè à calore in terræ viſceribus concentrato, imo à calo-

*Noua opinio de margaritarũ origine.*

calore vegetabili & viuo illius animalis, qui aliarum generationum more, fœtum illum excalfacit & temporis succeſſu digerit, vſque dum abſoluto partu, illum excludat, & in lucem proferat. Relinquo potiora argumenta à me citata in libro de occultis proprietatib. Principium ergo culmenq́ue omnium rerum pretii, ex doctrina Plinii, margaritæ tenent, quarum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere. Cumque cœleſtem originem ſortitæ ſint, vt virtutes & proprietates cœleſtes quoque habeant, neceſſe eſt. Vnde Auicenna cor, ſpiritusq́ue vitales has corroborare, ſplendore & puritate ipſarum tradit. Exhilarant animum, & contra cardiacos & melancholicos affectus plurimum celebrantur, magnoque vſu commendantur.

*Margaritarum electio.*

*Margaritarũ vires.*

Reliquum eſt, vt *de auro* aliqua diſſeram, quod fundamentum ciuitatis Dei, ab his ſanctis conſtituitur. Ex cuius partis explicatione, longe melius & clarius, naturam & generationem lapidum pretioſorum, & auri, cognoſcere poterimus.

## ANNOTATIONES.

Dum Regi Tyri] *Gemmæ pretiosæ non eum in vsum gestandæ sunt, vt earum fulgoribus gloriolam quampiam ex his captemus. Id quod Tyrio Regi, Propheta Ezechiel impingit, quem in medio ignitorum lapidum ambulasse suggillat, dum quiddam diuinum sibi arrogabat. Neque tamen existimandum est Prophetam, Regem hunc, ob gestationem pretiosissimorum lapidum reprehendisse; sed quia hoc ornatu efferebatur, & proprijs ornatibus priuatus, exotico & externo in cultu Deum contemnebat, & peccata peccatis cumulabat.*

Origo atque genitura conchæ] *De Margaritis earumque generatione plura eleganter refert Ammianus Marcellinus lib. 23. hist. Rom. his verbis: Apud Indos & Persas, Margaritæ reperiuntur, in testis marinis robustis & candidis, permixtione roris anni tempore præstituto conceptæ. Cupientes enim velut coitum quendam humoris, ex lunari aspergine capiunt densius oscitando: exindeque grauidæ edunt minutas, binas aut ternas, vel vniones sic appellatas, quod eius terræ conchulæ, singulas aliquoties pariunt, sed maiores. Idque indicium est, æthérea potius deriuatione quam saginis pelagi, hos oriri fœtus, & vesci, quod guttæ matutini roris iisdem infusæ, claros efficiunt lapillos & teretes: vespertini vero flexuosos contra*

Generatio & origo margaritarum vnde.

&

*& rutilos, & maculosos interdum. Minima autem vel magna pro qualitate haustuum figurantur, casibus variatis. Concussæ vero sæpissime metu fulgurum inanescunt, aut debilia pariunt, aut certe vitijs defluunt abortiuis.*

*Capturas autem difficiles & periculosas, & amplitudines pretiorum, illa efficit ratio, quod frequentari sueta littora, propter piscantium insidias declinantes, vt quidam conijciunt, circa deuios scopulos, & marinorum canum receptacula delitescunt. Quod genus gemmæ etiam in Britannici secessibus maris gigni legique, licet dignitate dispari, non ignoramus. Sed & Theophrasti verba de harum generatione, operæpretium est ascribere. Initio veris, inquit, sua quadam natura, mirabili siti, conchæ appetunt rorem cœlestem. Hunc cum in littus repentes & hiantes hauserunt, nascitur ex eo rore & conchæ carne, cuius odor optimus est, gemma pellucida, aliâs aurei, aliâs argentei coloris, & mirificam vim habet in pellendis venenis & medicatione cordis humani. Fit autem generosior cum crebræ sunt magnæ tempestates, donec conchæ sunt grauidæ. Fertilissima Margaritis est Taprobana, hodie Sumatra dicta, Indici maris insula cum insula Toide in Peninsula (hodie Patane Caxaldo) Indiæ promontorio. Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris rubri.*

Margaritæ vbi frequẽtes, earumque electio.

*His enim quod ad Margaritarum copiam ac*

*nobilitatem cum ab historicis, tum ab ipsa experientia quotidiana palma defertur. Et quanquam passim in vniuerso illo mari Persico nascuntur: duæ tamen sunt hodie insulæ illarum fertilissimæ, nimirum Gulfal siue Iulfal in medio Persico mari, & Bacharem in eiusdem ostio sita, vt testes sunt omnes fere Orientalium rerum historici.*

*Harum alterutram Strabo intellexit, cum lib. 16. Eratosthenes scribit affirmare, in Persicæ prænauigationis initio insulam esse, in qua multæ & pretiosæ margaritæ gignantur.*

*In Britannia paruos vniones atque decolores nasci certum est. Est & præterea apud Vogesum Lotharingiæ montem, amnis Margaritarũ ferax, verum non vsque adeo splendidæ sunt. Mirum tamen, quod quæ per generationem gratia in eis desideratur, per columbas resarcitur; quæ scilicet deuoratas, puriores tandem eas cum fecibus reddunt, restituuntque.*

Margaritæ impuræ qua ratione puriores fiant.

Maiorem vero eis] *Margaritæ pro concharum ætate & magnitudine maiores, pro roris concepti puritate vel obscuritate, generosiores, vel ignobiliores nascuntur.*

Quæ gregatim per mare natantes] *Quidam tradunt sicut apibus, ita concharum examinibus singulas magnitudine & vetustate præcipuas esse veluti duces, miræ ad cauendum solertiæ. Has vrinantium cura peti, illis captis, facilè cæteras palantes retibus includi. Idem scribit Mega-*

*gasthenes, vt lib. 8 de rebus gestis Alexandri Magni, Arrianus refert. Conchas inquit, in quibus Margaritæ & vniones gignuntur, retibus capi, gregatimq́ multas veluti apes depasci, regemque suum habere; ac si contingat Regem comprehendi a piscatoribus eas protinus circumfundi, nec vim effugere: fugiente rege & ipsas effugere.*

*Candor Margaritarum senecta disperit, & grandescentibus conchis, flauescunt Margaritæ, quem tamen redire nonnulli affirmant, si aliquandiu milio, rudi modo contuso, cum sale mixto contegantur & sepeliantur.*

*Crassescunt etiam in senecta conchisq́ adhærescunt, nec ijs auelli queunt nisi lima: quibus vna tantum est facies, & ab ea rotunditas, auersis planicies, ob id tympana nominantur. In aqua mollis est vnio vt corallius qui aëre exemptus, protinus durescit & fit lapis. Nunquam duo simul reperiuntur: inde vnionibus nomen datum: Datæ columbis nitescunt. Margaritæ, velut testa oui, aceto mollescunt, & in tabem resoluuntur. Quam artem sumptuosissima ac luxuriosissima Cleopatræ Ægypti reginæ, cœna, cum M. Ant. de apparatu contendentis, manifestauit, dum margaritam, centies sestertiū æstimatam (quæ summa nō minus æstimatur aureis 250000. millib. vt doctissimus, & totius Galliæ ornamentum, Wilhelmus Budæus libro 2. de asse explicat) illa absumpsit: testificantibus vtriusque ingluuiem Plinio libro nono cap. 35. & Ma-*

Vniones vnde dicti.

Cleopatræ Ægypti reginæ luxus.

*Macrobio 3. Saturnaliorum cap. 17. Idem Budæus memorat, vnionem in Gallijs 3000. aureorum emptum auellanæ magnitudine, pondere quadragenario: Et alium 4000. aureorum. Margarita perforata à natura est melior & pretiosior; quia quæ à natura sunt perforatæ: à suis superfluitatibus per illa foramina mundata sunt. Sunt autem eligendæ magnæ, albæ, claræ & splendidæ, speculares & rotundæ.*

Margaritarũ electio.

Margaritæ qua ratione præparari debeant.

*Præparatio earum est, vt purgatæ sordibus & pelliculis adhærentibus lauentur ex aqua rosacea, & siccatæ terantur in mortario lapideo, pistillo ligneo: deinde arte læuigentur porphyritide. Nec vllà ratione eorum tritura aut ductio, in mortatario æreo siue cupreo fieri debet (veluti hodie plerique pharmacopolarum factitant) ne ab illis quidquam substantiæ in Margaritas deradatur, sed omnino super lapidem Porphyrium diu terendæ sunt.*

Margaritarũ vires.

VNIONES seu MARGARITÆ frigidæ & siccæ, occulta proprietate *cordis robur firmare, venenis succurrere, putredini resistere, & syncopen tollere creduntur. Ideoque in tam frequenti vsu sunt aduersus morbum omnem, occultæ malignitatis participem, vt vix vllum compositum sit Alexiterium, quod eas non recipiat. Quædam etiam ab ijs nomen sortita sunt, velut nobilissimæ duæ confectiones, Diamargaritum calidum & frigidum, quarum prima ad vniuersi corporis refrige-*

*generationem, omnesque virium imbecillitates inde contractas: altera vero Syncopen, & imbecillitatem illam tollit, quæ ex caliditate & dißipatione spirituum contracta est: quarum laudes abunde recensent autores, qui Antidotaria conscripsere, qui hoc loco consulendi sunt. Virtutem habent confortandi vel à tota specie, vt quidam dicunt. Ad cordis affectus, præcipue cardiacam & syncopen, præcipuam opem ferunt.*

*Clarificant enim sanguinem cordis incrassatum eumque subtiliant. Melancholicis tamen per se non conferunt, cum frigidæ sint & siccæ, nisi quod spiritus puriores efficiant, vaporesque atros ad cor conscendentes, siccitate sua absumant. Valent quoque contra fluxum sanguinis & ventris debilitatem ex fluxu medicinæ prouenientem: à vulgaribus pestiferisque morbis defendunt, & diarrhœis magnopere conferunt: hac tamen ratione, vt in polline vel alio modo insumantur. Collyrijs admixtæ, oculorum nubeculas eorumque sordes detergunt, aquam eo defluentem absumunt, quia fortificant neruos, per quos humiditas ad oculum venit. PVLVIS datur à drachma dimidia ad drachmam 1. aliâs solus, aliâs cum vnicornu & cornu ceruini scobe, quæ tria simplicia alexiteria, si pari pondere permisceas, non modo ad domandam pestis & exanthematum popularium perniciem, singulare præsidium nactus fueris, sed etiam aduersus ferarum omnium venena alexipharmacum*

Puluis præstantissimus cõtra omnis generis venena.

cum

cum præstantißimum. Ex perlis quoque cum rore Maiali & aqua melißæ præstantißima aqua cordialis destillari solet, quæ in frequentißimo est vsu, cuius cochleare vnum vel alterum assumptum, Syncope & virium imbecillitate detentos, mirificè recreat. Et quoniam aquæ perlarum in frequentißimo sunt vsu, ideo vnam vel alteram earum componendarum formulam, adijcere non grauabor. Recipe aquæ rosf. vncias duas, aquæ borraginis, buglossæ cuiusq; vnciam 1. manus Christi præparatæ cum perlis, vnciam vnam, aquæ cinamomi, acetosæ cuiusq; vnciam dimidiam, margaritarum præparatarum drachmam dimidiam. Hæc omnia optimè misceantur, & vsus tempore, liquor in vitro benè conquassetur, & prædicto modo exhibeatur. Vel recipe aquarum rosf. buglossæ, borraginis, melissæ cuiusque vncias duas, manus Christi perlatæ vncias duas, vini maluatici vnciam vnam, margaritarum præparatarum drachmas duas. Misce. Quidam addunt aquam destillatam ex fragis, morus rubi Idæi, floribus tiliæ, quæ tamen pro varietate circumstantiarum mutari possunt.

Perlen-wasser.

Præ cæteris vero insignem & admirabilem efficaciam non semel præstitit sequens aqua cordialis præstantißima, qua concisis propemodum facultatib. vitalib. & animalib. integrè & calore natiuo ferè prorsus coarctato & consopito, memini me in vita reseruasse, & pristinam sanitatem, Deo meis remedijs benedicente, personis aliquot resti-

*restituisse, de quarum vita iam conclamatum videbatur: cuius etiam mentionem feci non semel in centuria prima & secunda curationum mearum.*

*Eius descriptio talis est: Accipe aquæ destillatæ ex fragis bene maturis, aquæ acetosæ, cuiusque vncias duas, aquæ rosarum redolentissimæ, vnciam vnam, vini maluatici, vnciam dimidiam, manus Christi præparatæ cum margaritis drachmas sex, succini albi præparati, drachmam semiss. Misceantur omnia optime.*

*Sic fit aqua iucundissima & fragrantissima, quæ calorem concentratum, ad exteriora perducit, nec raro sudorem suauem mouet, ratione cuius ægri mox melius habent, & optime recreantur.*

*Ex ijsdem quoq; tabulæ præstantissimæ præparantur, quæ vires deiectas promptissime restituunt hunc in modum.*

*Recipe cornu cerui, vnicornu vel lapidis Bezoartici, margaritarum splendidarum, scobis eboris, cuiusque grana sex, fiat puluis tenuis.* Perlenth-zeltein.

*Huius pulueris drachmæ duæ exceptæ vnciis tribus saccari albi, aqua rosarum stillatitia dissoluti, in tabellas concinnantur, quas manus* CHRISTI *appellant.*

*Huic & nonnihil interdum additur elect. de gemmis, interdum & ambræ momentum. Oleum ex ijs paratum, ad neruorum resolutionem, con-*

*uul-*

*uulsionem marcorem senilem & phrenitidem conducit, si grana sena ex humore aliquo idoneo sumantur: corpus sanum conseruat: læsum pristinæ sanitati restituit: lac muliebre emendat, augetq; naturalium partium vitia, & semen corrigit vlceribusque exedentibus, cancro & hæmorrhoidibus medetur, vt Andernacus docet.*

Oleum Margaritarum & eius vires.

## *DE AVRO A S. IOANNE pro fundamento cælestis Hierosolymæ posito.*

## CAP. XVII.

AVRVM præ cæteris multis excellentiis, precipuam hanc gratiā obtinuit, vt vel solum vel gemmarum, marmorum, aliarumque rerum nobilium ornamentis impositum, perpetuo reliqua pretio vincat. Hoc tamen non tale dicitur, quod omnes homines aurum tanti faciant, cum multi lapides pretiosi, v.g. Rubinus, Adamas, Smaragdus, Margaritæ, & lapis Bezoar, communi consensu, aurum valore superent. Sed pretiosissimum appellatur, respectu naturæ & substantiæ suæ mirabilis cui nulla alia comparari potest. Generatur enim quasi ex nihilo, hoc est, ex spiritibus subtilissimis & cœlestibus, in terræ visceribus, & multorum seculorum spacio. Postquam vero perfectionem suam ad-

*Auri generatio vnde procedat.*

adeptum eſt, præterquam quod nec ærugi-
nem vel aliam corruptionem ſentit, nullo
neque accidente naturæ, neque artis magi-
ſterio, aliquam ſui iacturam aut tranſmuta-
tionem ſuſtinet, non ſale, non igne, non ace-
to, nullis ſuccis, nulla rubigine nec vlla alia re
valida abſumitur: quin potius igni iniectū,
ſubinde purius redditur, & maiorem valo-
rem acquirit, adeò vt cum æternitate con-
tendere videatur. Hæc generatio auro com-
munis, cum aliis quoque multis rebus terre-
nis & metallicis, & petris pretioſis reperitur,
hoc eſt, vt ex ſimilibus fumis, & ex nihilo
quaſi producantur. In qua ſane re, diuina re-
ſplendet potentia, vt cunctæ res bonæ & per-
fectæ, ex principiis debilibus & humanæ ra-
tioni ignotis oriantur, effectus vero deinde
magnos ſortiantur. Quod Plato ad primam
mundi conſtitutionem vſque confirmauit:
& Ariſtoteles priuationem pro principio
neceſſario cunctarum rerum poſuit, affir-
mando, ex non ente actu, aliquid tamen fie-
ri poſſe. Hinc recentiorum quorundam er-
rores, circa generationem metallorum & au-
ri patent. Horum enim quidam ex terra & aqua hæc gigni volunt: alii cinerem & cal-
cem terreſtrem ipſorum principium conſti-
tuunt: Sunt qui ex ſulphure & argento viuo
illa naſci aſſerant, prout à calore cœli ſtella-

*De auri origine variæ opiniones.*

rumque externo, hæ materiæ plus minusvé purgatæ beneq; digestæ fuerint. Hæc quidem sunt principia sensibilia, & operationi artis conformia, quæ præsupponunt materiam tractabilem, & suo fini conformem. Verius tamen ex naturę principiis (quemadmodum Aristoteles breuibus determinat in lib. de gener. rerum terrestrium & metallorum, præcipue vero auri) nihil aliud, quam fumi, & subtilissimi insensibilesque spiritus existunt, qui roris modo, & (quod manifestè cernimus) fuliginis materiæ fumosæ & exhalabilis, postquam ab igne eleuata fuerit, congelari incipiunt, & in summitate camini, in substantiam duram & lapidem transeunt: Eodem modo, fumi hi subterranei, à calore cœli stellarumque, in viscera quoque terræ penetrante, eodemque calore, ad altas montium concauitates & speluncas tracti, à frigore externo, inter fissuras lapidum congelantur; vsq; dum pluribus elabentib. annis, qui ab humano iudicio comprehendi minime possunt, in substantiam metalli coalescunt, siue iam ferri, æris, argenti vel auri existat, pro varia fumorum illorũ, magis vel minus digestorum & melius purgatorum conditione. Præsuppositis igitur verissimis his principiis, olim à nobis in primo & sexto libro, de rebus subterraneis & metal-

*Veri auri materia quæ.*

metallicis demonstratis, multa dubia, quæ circa causas materiales, formales & efficientes, modumque generationis moueri possunt, resoluuntur, quæ stantibus aliorum opinionibus saluari non poterunt. Et primum mirandum non est, hæc tantam perfectionem nancisci, cum principia ipsorum, non admodum materialia & crassa sint, ex mixtione scilicet fortuita aquæ & terræ, vel cineris, sicut nonnulli satis inepte scripserunt, quasi lateres aut murum aliquem constituere deberent: quin potius fumi & spiritus subtilissimi existunt, substantiæ potius cœlestis quam elementaris, & (prout Aristoteles in alio quodam loco comparat) elemento stellarum similis. Nec per se soli ad hanc generationem soloque calore exteriore & cœlesti agitati accedunt, cum ab his omnes res indifferẽter dependeant: sed potius regulantur & digeruntur à calore intrinseco, & minerę illi proprio, huic à stellarum calore infuso & implantato (quem Arabes, naturalium rerum inuestigatores subtilissimi, *mineralẽ virtutẽ* appellarunt) qui in singularum rerum, vermium quoque & muscarum generatione necessario requiritur, licet Agricola obstinatione potius quam ratione ductus hunc negauerit, calorem exteriorẽ sufficere asserens, quę tamen opin. falsitate nõ carens explodenda.

*Perfectio metallorũ vnde dependeat.*

*Mineralis virtus quid.*

*Agric. error.*

Quin potius cum virtus hæc & calor ille internus, temperatus, minimeque violentu sit, hinc fit, vt magno naturæ conatu, & multorum seculorum spatio intercedente, producantur, & cum infinitis sublimationibus, destillationib. & trāsmutationib. quas illi spiritus multoties subeunt. hinc inter illos strictissima mixtio partium sibi inuicem coniūctarū accidit quam sapientes *per minima* appellāt. Quamuis n. prima semina mineralia ex substantia cœlesti constent; ab elementaribus tamen partibus purioribus, corpus aliquod assumunt, & pro varia perfectiore vel imperfectiore mixtione, & per minima, adeo, vt quodlibet minimum terræ se associet cum quolibet minimo ignis, aëris & aquæ: hinc fit, vt arborum & vegetabilium more, virtutem accipiant, mediante qua nutriantur, augeantur & crescant. Qua ratione pro varia mineræ specie, pro diuersa mixtione partium terrestrium, cum minimis partibus ignis, aëris & aquæ, quæ intercedentib. pluribus seculis vix comprehendi possunt, digeruntur, & ad eam perfectionem deueniunt, quam obtinere possunt: illius metalli, auri nimirum substantia, purior vel impurior, grauior aut leuior, magis minusue extensibilis, dura, mollis, vel aliis qualitatibus insignita erit. Et quemadmodum omnia vegetabi-

*Metallorū qualitates vnde depēdeant.*

bilia & plantę propter cõcoctiones quib. ob nutritionem opus habent, multis necessario excrementis abundant, cum industria natura nihil frustra faciat, nec in superfluo abundet, conuertit hæc in folia, palmites & cortices; & in animalibus conuertit similiter humores superfluos in pilos, vngues, sudorem, & alia excrementa: ita sine dubio, & longè magis, mineræ subterraneæ, qualecunque iam metallum perfectum producant, necessario suis excrementis abundant: qualia sunt, sal, alumen, succi, cineres, vnctuosa, sulphur, marcasitæ, sic à vulgo similitudine menstrui, appellatæ, quo laborant singulis mensibus mulieres. Quæ siue in superficie illorum montium in lapidem conuertantur, & aliquam portionem subiecti metalli in se retineant: vel menstrui modo in aliquo humore liquido superabundent & partes melius digestæ, in substantiam argenti viui coëunt, quod ab omni metallo, parcius vel abundantius scaturit, & forsan secundum artis secreta purgari, & in aliquod perfectum metallum figi potest. Hic verus modus generationis auri & metallorum est, secundum Aristotelis opinionem, quam verissimam esse censuit, minimè vero probauit, hoc est, quod aurum generetur, ex purgatissimis & spiritosis fumis mineralibus, magno naturæ

*Vegetabilia omnia cur multis excrementis abundent.*

*Metalla omnia necessario suis excrementis abundare.*

*Generatio vera & propria auri.*

conatu & longissimo temporis spacio. Quæ tanquam principium intrinsecum & efficiẽs, in cunctis rebus, beneficio caloris tempera-ti, quẽ obtinent, digerendo per minima, & as-siduè fomẽtando sua semina, intercedentib. transmutationib. infinitis & mixtionib. ele-mẽtarib per minima, tãdem digerit, & in au-ri substantiam transmutat. Quod summum perfectionis gradũ attigisse videmus, quem creatę res assequi possunt: licet progressiones naturæ in operando, tempus & locus nos la-teant, quę in altissimis secretis ipsius reseruã-tur. Producitur hoc inter varia lapidum & mineralium genera, nec in vno solo inueni-tur. Principia n. interna, vt propria sint & im-mutabilia; ob naturalem tamen conuenien-tiam, quam cum aliis metallis habet: aurum quasi quinta quædam essentia, partium sub-tilissimarum & purgatissimarũ, in quocunq; genere reperitur. Vnde sicut bene Plin. docet modo in metallis argentariis & cum varia portione, iam cum ære (quod tamẽ paucum existit) modo cum vario marchasitæ genere, aut lapidum pretiosorum nasci inuenitur. Et quod plus est, quod magno naturæ ministe-rio meo iudicio asscribi debet, cum aurum ex fumis dictis subtilissimis & spiritus quasi na-turam habentib. creetur, in matrice saxorum durissimorum imprimi & creari gaudet, in

*Locus & matrix auri.*

*Auri cur*

qui-

quibus figuntur, nec exhalant: Quale etiam perfectissimum producitur per substantiam nonnullorum pretiosorum lapidum dispersum, & præcipue in lapide Lazuli, vbi in colore vltramarino obscuro, aureę scintillę micare videntur, instar stellarum illarum, in cęlo lucentium. Qua ratione interdum in Smaragdo produci asserunt; quemadmodum ęgo vidi in Iaspide viridi stupendo, guttis aureis scintillante. Communis vero ipsius matrix, ex qua fumi illi spirituosi pro generando auro eleuantur, genus quoddam durissimi lapidis esse dicitur, adeo, vt cuneorum, malleorumq; ferreorum vi vix rumpi possit. Qua ratione antiqua fama semper celebrata fuit abundantissima illa auri minera Carpathi insulæ, quæ inter Ægyptum & Rhodum interiacet, eruti ex petra durissima; ex qua excisam fuisse puto pretiosissimã illam mensam, Illustrissimi Cardinalis Farnesii, quæ Caprarolæ visitur, constantem marmore, pulcherrimis maculis obscuris scintillante, in quo auri venæ per totam eius amplitudinem, striatim discurrunt; aut marchasitę quę auri nonnihil complectitur. Inuenitur etiam inter arenas montiũ aridissimas, quæ à diluuii forsitan tẽpore ibi remãsere. Perinde in q̃busdã Subalpinæ prouinciæ fluminib. v.g. Pado, Doria, visitur, q̃ assiduo cursu atq; attritu,

*generetur in saxis praduris.*

*Matrix auri propria quæ.*

*Aurum arenarum & fluminum.*

exiguas auri micas conducunt,in quorum aquis, Solarium atomorum inſtar, auri micæ emicant, non quod ibi naſcantur, verum ſignum eſt, montes illos, auri mineram in ſe continere. Id quod etiam Plinius annotauit, ex quibus orta flūmina, ex viſceribus montium, ſubſtantiam illorum ſubtiliorem & id genus arenam, per flumina & ad littora ſecum deferunt. Cuius naturæ fuit aurum illud,ꝙ noſtris temporib. in orbis noui inſula, Peruuia vocata,in tanta copia repertum fuit.

Hunc diſcurſum latius extendere opus fuit, tum ob materiæ venuſtatem; tum quod cauſæ & modus generationis auri aliorumq; metallorum, hucuſque non tam accuratè explicata & conſidetata fuiſſe mihi videantur. Propterea glorioſus Apoſtolus S. Ioannes,in Apocalypſi,ad mirabiles auri proprietates alludit, ſic interpretante S. Auguſtino, dum cœleſtis Hieroſolymę muros,ex auro obryzo fabricatos dicebat: vt ſignificaret puritatem, & ſtabiliſſimam ipſius firmitatem, ratione cuius in æternum durare debeat,& quod introitus patebat per duodecim portas Iaſpidis. Aurum vero ex natura potius cœleſti, quam compoſitione elementari conſtare, hoc ex ſubſtantia ipſius quaſi incorruptibili demonſtratur, in qua præter ſplendorem ſyderibus ſimilem, qualitates & pro-

*Figura auri in Apoc.*

*Auri natura vnde conſtet.*

proprietates quædam mirabiles apparent, quæ in virtutem aliquam elementarem reduci nequeunt: Quales ſunt, quod præter ipſius conſtantiam, molliſſimum exiſtit, & tanta materiæ facilitate præditum eſt, vt in ſubtiliſſimas & inuiſibiles bracteas vel fila dilatari & diuidi poſſit, cui vni nihil igne deperit tuto etiam in incendiis rogiſue durante materia. Harum qualitatum, non ineptam rationem naturales philoſophi afferunt, affirmantes, aurum ex ſingulis quatuor elementis compoſitum eſſe per minima, & tam bene inuicem mixta eſſe, vt diſſolui plane nequeant, nec vna pars ab alia ſeparari poſſit. Quod ſi vero ſic ſe res habeat, vt ſcilicet tantum terræ & elementorum grauium & tantum aëris, igniſque, leuiſſimorum, æqualiter in ſe contineat, qua ratione experientia conſtat, illud terræ pondere cedere, quæ extremum grauitatis occupat, cũ in ſummo gradu rerum grauium conſtituatur? Sunt qui affirment, Aurum reuera ſua grauitate plumbum ſuperare, quod plures partes terreſtres & aqueas in ſe continet, & propterea facilius liquatur, & minus graue auro exiſtit: ſed quod purum terræ elementum, quod forte in eius centro reperiri aſſerunt, grauius eo eſſe debeat, cum omnium rerũ grauiſſimum exiſtat. Quibus tamen ego reſpondeo, com-

*Elementũ purũ nulli bi inueniri.*

munem omnium opinionem esse nullum elementum, nec etiam terram vnquam simplicem vel puram inueniri, quę etiam in centro ociosa consisteret, & frustra ibi consisteret: Natura vero nihil frustra agit. Quin potius constat terram quasi almam matrem, & omnium rerum parentem, terrestrium præsertim, & inter hæc præcipuę metallorum & variorũ lapidũ, vbiq; cauernosam, porosam & trãspirabilẽ esse, ideo absq; dubio in cẽtro longè cauernosior est, quo loco immensum barathrum æterni ignis continetur, qui mea sententia, per os Ætnæ, infinitosq; Vulcanos ardentes perpetuis flammis, ad superficiem terræ & cœlum vsq; emicat & exęstuat, quẽadmodũ in li. 1. & 4. de thermis multis rationib. id probaui. Conclude igitur, aurũ & sua subſtãtia & omnib. suis qualitatib. admirabile existere. Vnde quod ad proprietates naturales attinet, Auicenna in lib. de virtutibus cordis, cum aliis non ignobilibus Scriptorib. refert, aurum esse temperatissimum, & in omnibus suis partibus æquale, nisi quod aliquantulum plus in calore excedit, quemadmodum omnes res perfectæ & vniuersa natura calido delectatur: Cuius ratione cor mirabiliter confortet & totam humanam naturam restauret, operando tantundem in causis frigidis, quantum in affectibus calidis, &

*Auri proprietates quæ.*

quo-

quocunque modo, siue exterius, siue interius applicetur, semper euidentem præstet vtilitatem, nec vnquam noxam afferat.

## Annotationes.

Verius tamen ex naturæ principiis] *Aristoteles sub finem libri 3. Meteor. lapidis materiam scripsit esse exhalationem calidam & siccam metalli, vaporem humidum. Quod non ita accipiendum est (vt ipsemet lib. 4. Meteo. seipsum explicat) quasi lapidem ex puro halitu & metallum ex solo vapore constare dixerit (semper n. alter alteri necessario permixtus est) sed quod in lapide exhalatio superet, in metallis vapor aqueus. Atq; hãc sententiam tanquam veriorem hîc amplectimur: tum quia est hominum doctissimorum, nempe, Aristot. Plat. Theophra. Peripateticorũ & Academicorum penè omnium: tum quia hac sententia posita, facillimè & optimè ratio reddi potest eorũ omniũ, quæ in ipsis cernimus: hac a. non posita, ratio nulla apta afferri potest. Non leue etiã argum. est, quod metalla igne nõ absumi tam cito, licet fundi & liquari, videamus. Nam cum vapore, aqua nulla, exhalatione vero, terra nulla minor aut tenuior sit, potest vapor cum halitu ita misceri, vt pars quælibet vnius, etiã minimã alterius cõprehẽdat. Ex quo fit, vt præ exhalatione vaporũ, pars nulla in fumũ resolui possit, & præ vapore, pars quælibet exhalationis fluat. Itaque cum metallum in ignem coniectum fuerit non vertetur tam cito in fumũ aut cineres, sed liquatũ*

Metalla qua ratione ex halitu oriãtur.

totum

*totum fluet. Talis autem mixtio aliarum rerum esse posse nulla videtur. Quare vapor & exhalatio materia proxima erit, lapidum quidem, si exhalatio prædominetur, metallorum vero, si vapor abundet.*

Substantię potius cælestis quam elemētaris] *Omnes in auro qualitates aliquid præ se ferunt cœlestis, pondus, quo fermè superat omnem grauitatem elementi, mollitio, extensio, splendor, resistentia non cum igne solum, sed cum tempore permanens, omni experimento, semper idem & incorruptum. Propterea dicunt sapientes, quod sicut natura semper intendit gignere masculum, vt quod melius est & perfectius: ita semper in metallis intendit aurum, nisi quid impediat. Quo nomine rectè, vltimum ponitur aurum in intentione naturæ, ac finis optimus metallorum, arte tantopere quæsitum à sapientibus, desideratum omnibus nationibus, illustre splendore syderum.*

Marcasita quid.

Marcasitæ] *Marcasita & Pyrites idem sunt. Nam idem quod Latini & Græci* Pyriten *dicunt, Arabes vocant Marchasitam & zeg nigrum. Et omnia quæ Græci de Pyrite scripsere; Arabes sub marcasitæ nomine in suam linguam transtulerunt. Italicæ vero mulieres,* il marchese, *menstruum profluuium appellant.*

Metalla in venis qua ratione nascantur.

Producitur hoc] *Nascitur omne metallum in venis vno modo ex trib. Aut n. purũ, aut rude, aut mixtum. Purum est, quod dum in vena est, sui coloris est.*

*est. Ita aurum gignitur, argentum, æs, plumbum, & ferrum: sed rarius plumbum & ferrum: stannum autem purum nunquam repertum est. Rude metallum appello, quod suum colorem non habet, nisi opera fornacum, ex lapide vel terra excoquatur. Sic omnia quidem nasci compertissimum est, sed tamen alia aliјs frequentius. Mixtum denique metallum est, quod nascitur in vena eadem, cum alio aut aliјs: à quibus deinde cum vena coquitur, separatur.*

Purũ metallũ quod.

Rude metallum quod.

Mixtum metallum quod.

Vnde sicut bene Plinius ] *Aurum purum ac obryzum vix nobis conceditur, quin omni auro insit, argenti, nunc æris vario pondere alibi dena, alibi nona, alibi octaua pars, vt argento metallorum aut æris norma. Nam Monetarij non necesse habent aurum prorsus purum efficere, sed coquere, donec talis temperatura sit, qualis esse debeat aureorum nummorum quos cudunt, vt docet Agricola lib. 10. de re metallica. Aurum quod statim suum est, & quod obryzum nominant, aut effoditur è terra, aut lauatur in riuulis. E terra quod effoditur, aut syncerum est & solidum: aut scintillis lucentibus tinctum atque imbutum, vt quod adhæret lapidi cæruleo in monte Carpatho: item lapidi fissili. Reperitur autem in propria vena, & in saxis splendore candidis: item in Pyrite proprio: aliquoties in Pyrite ferri. In Hyrcania glebas maximas auro micantes reperiri, ait Marcellinus lib. 23. & in Gallitia frequenter glebas aureas aratro*

Aurũ purum vbi inueniatur.

*excin-*

*excindi, testatur Iustinus lib. 44. Quin etiam aurum terra fulgure proscissa detegi, scribit idem. In insulis Moluccis in arenis colligitur, cuius auri massas orbiculares tres, Georgio Saxonum Duci, Carol. V. Imp. dono misit. In montibus Gilouensib. Bohemiæ auulsam de silice auri massam pondo 12. & ad regem Wenceslaum delatã, ait Dubrauius Olomucensis. Aurum argentosum nominant, quod argenti colorem habet, quod reperitur in citeriore Pãnonia modo in pyrite ferri, modo in saxo proprio.*

Aurũ argentosum quod.

Perinde in quibusdam] *Idem etiam reperitur in ramentis fluminis Hebri, in Thracia; Tagi, in Hispania; Rheni, Albis, Salæ, in Germania; Pactolo, Asiæ, Gange Indiæ fluminib. Vocatur aurũ hoc natiuum seu purum; quod à natura tale est, cuius massas Hispani vocant palacas, Germani* gedigen Goldt. *Nec vllum absolutius aurum est, cursu ipso trituque perpolitum. Testatur Fallopius, ex arena Padi fluminis, colligi auri ramenta plurima, ita vt aliqui incolæ tam sint diligentes & industrij in illis colligendis, vt ex ea piscatione ramentorum auri viuant, & familiam ipsorum commode sustentent. In riuulis quod lauatur, aut omnino purum est, quale in saltu Schellenbergiano, vno à Chemnitio miliari inuentum fuit: aut è lapillis nigris excoquatur: idque modo scintillis, modo bracteolis micat. In Lusmicio, Bohemiæ riuo, grana & massulas auri, ciceris magnitudine, puras repertas, quæ nulla eguerint excoctione, testatur Æneas Syl-*

Flumina aurifera quæ.

Aurum fluuiorum quale.

*Syluius. Tale quoq; aurum purum ignem non expertum, in Albi, & multis Misenæ riuis inueniri Ioannes Kentmannus, in catalogo rerum fossilium Misniæ testatur. Ioan. Frideric. Saxon. Electorem, Torquem aureum habuisse, autor est Petrus Albin. ex eiusmodi auro conflatum, quod ex Albi circa Torgauum oppidum collectum fuerat ponderis marcarum 15. cum dimidia, qui pro drach. 1. perpetuo 25. florenos persoluit. E fossili hodie optimum est in Europa, Pānonicū: ex eo quod lauatur, Rhenanū.*

Aurum vero ex natura potius cœlesti] *Aurum omnium metallorum præstantissimum, omnium rerum temperatissimum, & à corruptione tutissimum, coloris adeo splendidi & Solis æmuli, vt propter splendorem Phœbo; Ioui a. ob temperantiam sacratum tradiderint sapientes pleriq;. Id n. ex substantia elementari amicissimo nexu, fere indissolubili sibi inuicem proportione adeo respondet, vt nullius sane recrementi, nullius saporis ac odoris diuturnis etiam seculis, limo aquaue obrutū, nec situ obducatur, nec igne absumatur, nec in cinerē vertatur, sed purius defæcatiusq; fiat. Hanc ob causam omnib. cæteris metallis prælatū est, & ab Hermete solum* metallū *dicitur, quod in eo nulla appareat ægritudo. Neutra n. pars materiæ ipsius est imperfecta & intemperata. In eo sulphur est humidissimum & mundissimum, & per loturas fortiss. ad puritatē deductum, quod nullā omnino habeat fluctuositatē cremabilem aut humiditatem euaporabilem.*

Auri præstantia.

Aurū cur ab Hermete solum metallum dicatur.

*Diaphaneitas in eo contracta, facit colorem citrinum, & subtilitas facit consolidationem maximam, & constantia multarum partium simul in paruo loco & situ, facit pondus. Odoriferum non est, quia non euaporat. Euaporatio enim corporum corruptionem indicat.*

Ductilia quæ.

Vt in subtilissimas & inuisibiles bracteas] *Ductilia sunt, inquit Philosophus lib. 4. Meteor. text. 47. quorum superficies vno eodemque ictu, in latum simul & profundum extenditur. Quæ affectio metallis inter fossilia maximè est propria. quod in ipsis humor dominetur, qui cum partibus terreis ita mixtus est, vt facilè inter se disiungi nequeant. Nec tamen æquè ducuntur omnia, quia non semper eadem est humoris puritas, & optima cum partibus terrenis admixtio. Hinc aurum maxime inter metalla ducitur, minimè vero stannum & plumbum. Aurum enim tenuissimi & purissimi humoris maximè est particeps, & exactissimam habet mixtionem.*

Aurũ cur inter omnia metalla maxime duci possit.

*Vnde experientia docuit, tertiam partem vnius grani, filũ circumuestire posse 134. pedes longum: & si super argenti bracteas malleolo extendendum sit, vnam solummodo auri vnciam, octo argenti pondo contegere. Budæus auri vnciam, sedecim Francicos, & octo solidos, ac semissem valere dixit, taxatque pro ea summa, nouem solatos aureos. Ex crassiore humore, & eius imperfectiore, cum siccitate, temperatione, stannum & plumbum*

li.3.de asse.

*bum ortum est. Cætera, mediam quandam naturam sortita sunt, & prout magis vel minus ad puritatem & mixtionem auri accedunt vel recedunt, magis vel minus duci apta sunt.*

Quo loco immensum barathrum æterni ignis] *De hac re sic disserit D. Augustin. lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 16. Ignis æternus, cuiusmodi, & in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi fortè cui diuinus reuelauerit spiritus. Hæc itaq; Theologis relinquentes, vnde digressi sumus, reuertamur.*

Admiranda autem magis auri natura est, contra diem, circa *diluculum frigescere, adeo vt aureos annulos in digitis suis gestantes, inde deprehendere possint, quando diescat.*

Vnde quod ad proprietates naturales] *Summam mixtionis perfectionem in auro elucentem, lux & splendor ille præfulgidus, satis patefaciunt, spiritibusq; nostis lucidissimis maximeq; temperatis cognatas esse. Horum ratione facile adducor vt credam, ob illam sympathiam & symbolorum conuenientiam spiritus etiam conseruare, augere, ac veluti ignauos ac deperditos, specifica proprietate restituere. Quanquam non desint, qui propter adulterationem auri, quo Monetarij incudendo auro vtuntur, perniciosum esse crediderint: Idque non sine ratione, ideoque à medicinis quæ in corpus assumuntur, omnino reijciendum. Quin & aurum, vt cætera metalla, potius*

Aurum quid in medicina præstare possit.

*exitialem vim habere, quam quod cardiacum sit, potiusq; ad decorem, sumptum & ostentationem, indi quam secus. Arabum tamen & posteriorum experientia, ad animi affectus & morbos atrabilarios efficax inuenit, & quacunque ratione, siue solidum, siue lima côtritũ siue in folia diductũ intro assumptum, vitalem facultatem nõ offendit, vt reliqua metalla: imo ipsam & cor plurimum reficit.*

*Ne tamen frustra & temere hoc affirmasse videar, paucis eorum rationes diluam, qui aurum sine aliquo emolumento medicamentis indi asserunt: præterea etiam de vsu, non quidem extra sanitatem, sed quatenus vel foris applicitum, vel intus exhibitum, robur toti corpori adijciat, aliquid dicam. Nam etsi verum sit, aurum propter splendorem & nitorem, gratum esse, & quasi attractrice quadam vi mirabili spectantium oculos allicere, captare & rapere: non propterea tamen ad ostentationem inanem & vanam medicamẽtis inditur, cùm etiam foris administratum, hominem sibimet ipsi, in cordis affectib. restituere possit. Nam si exanimati quasi, & vix viui hominis, nullum manifestum vitæ indicium de se præbentis, sinistræ manus digitus, qui auriculari proximus est, & Medicus, vel, cordis digitus appellatur, auro, & croci momento defricetur, vires collapsæ, spiritus vitalis & animalis, quasi interclusi, reuertuntur, & ægri ad sese redeunt. Imo, pronos & habiles ad elephantiasin, aureas catenas, vel torques, gestasse,*

*ne*

*ne hac inficerentur, memoriæ proditum est. Alij contra elephantiasin, limatura auri leuissima, in cibo vel potu vtuntur. Nihil dicam de auro candente vino vel aquæ sæpius immerso atque extincto. Nam compertum & exploratum est, quod robur partibus principibus conciliet, & vires naturales in defluxionibus ventris, ita roboret, vt facile, si quid internis corporis partib. hæreat, consumat atque aboleat. Memini me ante biennium, curasse infantem vnius anni, plus minus, graui dysenteria laborantem, solo potu lactis, vel cremoris amygdalarum dulcium, extracti cum aqua plantaginis & rosarum, in quo deinde aliquoties, aliquot frusta auri satis magna, fuissent extincta. Paupertas, cui fortuna aurum inuidet, chalybe eo modo vtatur. Quin etiam admiratione dignum est, si in lue Venerea quis hydrargyro inunctus, aureum annulum ore gestet, & dentibus, linguaque hincinde volutet, argentum viuum, quod corpori ex inunctione innatat, in annulum deuoluitur, sic, vt totus argenteus eximatur, & non nisi igni admotus, pristino nitori restituatur. Quapropter his crebro id tentandum est, semper cauendo, ne periculum suffocationis ingruat aut succedat. Nam quibusdam inunctis, magna huius metalli copia inhæret, adeo, vt obseruatum sit, quod prodigio cuidam simile, incisa vena, aliquot drachmas profluxisse. Atque hinc est, quod tales tantisper pallescant ac tremuli sint, quandiu aliqua huius metalli*

Obseruatio.

*portio inhæſerit. Præterea, medici auro, contra melancholicos affectus, & ad naturæ robur vtuntur. Scobs eiuſdẽ, potiſsimum cum ſucco borraginis, & oſſe de corde cerui, contra ſyncopen, cordis imbecillitatem, & cardiacam, exhibetur. Eadem mirabili eſt auxilio epota ijs qui argentum viuum biberunt; ex Dioſcoridis teſtimonio. Et dici vix poteſt, quantopere vires & vitales ſpiritus erigat, ſi bracteæ aureæ, carnibus elixis admiſceantur: etſi nec per* πρόσθεσιν *apponatur, nec per* κόλλησιν *agglutinetur, nec per* ὁμοίωσιν *aſsimiletur ſeu nutriat. Contra ſplenis item vitia, & menſium, ventriſque immoderata profluuia, & anhelitus grauitatem, confert. Foris liquor ex auro candente adminiſtratus, impetigines, ſeu lichenas, lepram, mentagram, & porriginem, ozænam, polypum, morphæam, & omnes vitiliginis ſpecies, ſanare & cohibere traditur, præſertim ſi huic remedio nonnihil tartari, materiæ in dolijs lapideſcentis, admiſceatur. Deinde aurum, quia durũ, cum à calore ignis vinci & concoqui nõ poſſit, multo minus à ventriculi calore alterari & in nutrimentum redigi poteſt. Vnde per* πύλωρον, *ad inteſtina quidem defertur; ſed inde non ad meſaraicas, nec poſtea ad epar, & venæ concauæ ramos, quemadmodum nec ad cor; vnde ſequitur, crudum per aluum excerni. Quomodo itaque viſceribus & inprimis cordi robur adijcere poteſt? Sciendum ergo eſt, plurima, quæ intra corpus aſſumuntur,*

*& deglutiuntur, à calore nostro naturali, in corporis alimentum alterari & conuerti non posse: exonerare tamen corpus à putridis humoribus, pituita, & vtraque bile. Faciunt hæc Catharctica, quæ selectione quadam expurgant, Rhabarbarum, colocynthis, agaricus, diagridium. Nonnulla vero habent proprietatem quæ ἄῤῥητος est; experientia vero, longoq; vsu reperta. In his interdum Galenus ad occultam proprietatem confugere videtur. Et res est minimè dubia apud me, quin interdum ex magica, abominanda, & detestanda superstitione, quædam fiant. Ex quibus intelligi par est, quædam esse remedia, quæ nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota & integra, vincant, corpus afficiant & immutent, non aliter quam corpus cibos, de quibus Gal. lib. 3. de temperam. & lib. 3. de simpl med. facult. Hæc discernuntur ab ijs medicamentis, quæ si mutationis initium à calore corporis consecuta fuerint, putrescunt, corrumpuntur, vnaqne corpus ipsum corrumpunt, & putrefaciunt. Eiusmodi sunt, arsenicum, cantharides Horum nimia dosis sumpta, erodit, putrefacit, corrumpit. Quædam item sunt quæ agunt aliquid, sed temporis interuallo plane vincuntur; vnde his accidit, vt tam nutrimenti, quam medicamenti, rationem habeant. Ex quibus euidens est, aliud esse nutrimentum, aliud medicamentum. Hoc enim, vt non confici, vt induat corporis substantiam: ita mutari aliquo mo-*

 do,

*do, id est, qualitate quapiã potest, quæ ipsum mutet. Et ita aurum, etiamsi à calore nostro non possit comminui vel subigi (ita enim alimentum esset) fortè tamen immutat calorem nostrum, quatenus medicamentum, & splendore suo, scobes seu laminulæ, spiritus exhilarant. Hinc Manardus Ferrariensis in tertia epistola libri quinti consultè instituit ijs, qui pestilentia præseruari cupiunt, vt calices ex auro construant, cui à natura quinta, vel sexta argenti pars cõnata sit: Nam & argento metallis omnibus post aurum anteeunti, non spernendæ vires insunt. Quo fit, vt de quibusdam Medicis alioqui celeberrimis, mirari cogar, arbitrantibus, aurum perniciosam naturam habere; cum fieri nequaquam possit, vt, quæ homini perniciosa sunt, id est, ita aduersa, vt magis esse nõ possint, Galeno ita exponente, omnium indiscriminatim hominum animos, ad summum sui amorem desideriumq́ue, adducere valeant, demptis paucissimis, ferinam potius vitam viuentibus, quam homine dignam. Scriptum siquidem reliquit Plinius, in Septentrionali Tygris alueo oppidum esse Babytace, vbi mortalium soli, aurum in odio contrahunt: Id nempe defodiunt, ne cui sit in vsu. Nec est cur quis tanti effectus causam, illius attribuat pretio; cum gemmarum pleræq́ue, quamuis perspicua, & absque comparatione pretiosiores, longè minus humanum animum alliciant. Quo fit, vt omnino fatendum sit, hoc nõ aliunde oriri, quam ab inexplicabili qua-*

In 2. Prorrhet. libr. com. 17.

Plin. lib. 6. c. 27.

*quadam, inter illius, ac humanum temperamentum existente sympathia; quam nictare quasi voluit Marsilius Ficinus, dum dixit: si perspicuitatem haberet aurum, iam cœli substantiam fore. Quæ omnia eo dicuntur, vt de viribus auri in arte Medica constet, & quod periti Medici, auro & compositis ex eo pharmacis, vti possint. Vnde recentiores ex auro liquores parant, aurum potabile, auri tincturam, aurum vitæ, aurum diaphoreticum, balsamum auri, quod butyrum & axungiam Solis nominant, & si quæ sunt reliqua.*

## *SVMMARIVM DE RELIQUIS Gemmis.*

EX plurimis & infinitis gemmis, quarum ab aliis Autoribus, præcipueq; Plinio, mentio facta fuit, vt nobilem hunc tractatum perficiamus, nullo modo à tergo relinquendæ sunt aliæ quoq;, ex quarum cum aliis comparatione, differentiæ ipsarum innotescent, & quænam illarum excellentiores haberi debeant, patefiet.

## *DE ANDRODAMANTE.* CAP. XVIII.

ANdrodamas Adamantis quædam species existit, quadrata, & semper tessellis similis, quæ tamẽ non ita translucet, nec parẽ cum Adamante splẽdorẽ obtinet, nec etiã tã

pertinaciter malleo resistit, neque ferrum attrahit: id quod à vero Adamante fieri solet.

## *DE PANGONIO.*

### CAP. XIX.

PANGONIVS similiter numero plurium angulorum Crystallum imitatur (Id quod nomen ipsum denotat) quos nec Crystallus nec Iris obtinent.

### ANNOTATIONES.

*Pangonius reperitur in ijsdem locis in quibus Crystallus, & ei simillima esse solet, colore, facilitate translucida, lævore. Si in proprijs locis reperiatur: plerumque obscura, & vndique paruis cauernis, quasi foueolis plena. Id nomen sortita à multitudine angulorum, quod in plures quam sex angulos formetur. Quia raro inuenitur, in pretio est. Nonnunquam longior digito reperitur, sæpius breuior. Naturam crystalli retinet.*

CAPNITES, q. fumosa, aut tenebrosa, ex Crystallorum genere est.

## *DE GALAXIA.*

### CAP. XX.

GALAXIA similis Adamanti ratione duritiei existit: quæ tamen glacici speciem refert.

AN-

## Annotationes.

*GALAXIA colore & figura colorem grādinis refert, tanta duritie, vt omnib. ictib. inuicta resistat; tantæ frigiditatis, vt ab igne nunquam calefieri possit. Iracundis & biliosis valde prodest. Nam animos nimium ira calentes, conciliat.* Galaxiæ vires.

# DE ASTROITE.

## Cap. XXI.

ASTROITES aut ASTERIA, ad formam Cryſtalli accedit, quæ lucem quandam ex repercuſſu oſtendit, colore pallido, in quo interius, radii aliqui, ſtellarum modo, apparent.

## Annotationes.

*Hæc gemma est dura, quæ Solem, dum circumuertitur, ostendit intus lucentem. Sponte in aceto, ac etiā vino mouetur, ac animalium incessum imitatur, procedens inde ad latus, inde retrogrediens. Cuius rei causam hanc aßignat Agricola: Stellæ eius raræ sunt, intermedium vero densum est. Earum igitur meatus cum combiberint acetum, expellunt aërem, qui lapidem commouet. Hanc nostri à victoria appellant* Sigſtein / *quod putent eum qui illam gestauerit, causam obtinere & hostes vincere. Oculi figura plerunque extuberat: raro est oblonga.*

## DE GEMMA SOLIS.

### CAP. XXII.

GEMMA SOLIS candida eſt, & ad ſpeciem ſyderis in orbem fulgētes ſpargit radios, quorum aliqui, oculum humanum: alii felis ſpeciem repræſentant. His non abſimilis eſt *Leucophthalmus*, qui in albo rubeſcit.

### ANNOTATIONES.

*Effectu Soli hic lapis ſimilis. Vnde nomen accepit. Lucem transfundit cum inclinatione velut intus ambulantem, ex alio atq; alio reddens, non diſſimiliter ac carbunculus. Gemma admodum dura eſt. Figuram habet ſcalpta plerunq; dimidiati globuli. Somnum conciliare, & ſomnia terrifica abigere dicitur.*

*Gemmæ Solis vires.*

## DE SELENITE.

### CAP. XXIII.

SELENITES appellatur quædam gemmæ ſpecies imaginem Lunæ continens, redditq; eam in dies ſingulas creſcentis minuentisque numero: à marmore tamen Selenite differt: qui perſpicuus exiſtit.

### ANNOTATIONES.

*Huic gemmæ à Luna nomen inditum eſt, quæ*

*Græcè*

*Græcè* σεληνιαῖα καὶ σελήνη *dicitur, quaſi Lunæ iubar & ſplendorem dicas, quam colore lacteo pellucidam, ob id nonnulli* ἀφροσελήνην, *hoc eſt, ſpumam Lunæ appellarunt, quod illius candor, & in eo Lunæ effigies, pro Lunæ cœleſtis incremento creſcit & decreſcit: quod oſtracoderinis & cepis quoque accidit. Vnde Romani eam* Lunarem *vocant. Ex his plane efficitur & conſtat plantas, radices, lapides, aſtra, & ſpiritus, diuina quadam conſortij lege conſpirare. Quod non alia ratione accidit, quam (vt Plato in Timæo inquit) quod cuilibet rerum ſpeciei, peculiare aſtrum, vt polus magneti, & cuilibet aſtro, peculiaris intelligentiæ dæmon, vt homini cuilibet ſuus genius dicatus ſit. Dioſcorides eam in Arabia naſci tradit, translucereque ex candido, ponderis exigui. Quo loco etiam docet, quæ eius ſit vtilitas. Illud mirum, quod ea arbores fertiles fieri videntur, ſi vinctam eam contineant. Huius ramenta comitialibus in potu dari iubent. Ea ceu geſtamine, ad amuleta mulieres vtuntur. Noctu non ſolum lucet, ſed loca proxima illuſtrat, eo quod lumen colligit, non tranſmittit adeo vt Adamas: quare nitet exterius, & non eſt tam perſpicuus.* Selenites *alius frequentior eſt, cuius color totus ſimilis eſt ad vnguẽ chryſolitho, hoc eſt, aureus, viridis: duritie eſt carneoli: raro accedit ad auellanæ magnitudinem, totus perſpicuus. Eſt & alius quidam* lapis ſelenites *vulgo* ſpecularis *dictus, pellucidus & ſciſsilis, quem* Ger-

Selenites vnde nomen acceperit.

Selenitis vires.

*Germani* vnser lieben Frauwen Eyß / *&* Erdtglaß/*appellant. Finditur in laminas, ex quibus in Thuringia, Saxonia, & vicina Marchia orbes fiunt, qui fenestris inseruntur, quales adhuc in vetustis templis & ædificiis videmus. Solet autem rhombi figura marginib. æreis includi, non plumbeis, vt vitrum. Nascitur in Misnia ad Salam, sed non in tanta copia, quanta in Thuringia reperitur: qui tamen cum gypso cinereo permixtus est.*

## *DE HELIOTROPIO.*

## CAP. XXIV.

HELIOTROPIVM gemma nascitur in Æthiopia, Aphrica, Cypro, porracei coloris, sanguineis venis distincta. Gerentem hanc gemmam conspici vulgo negant.

### ANNOTATIONES.

Heliotropium vnde dictum.

*CAVSA nominis, de effectu lapidis est & potestate. Græci enim* ἥλιον *Solem dicunt,* τροπὴν *mutationem conuersionemve. Gemma est viridis cum guttis puniceis, venis sanguineis superaspersa. Posita in aqua radiis Solis opposita, eam ebullire facit, & aquam in vase positam, in nebulam resoluit, & paulo post in guttulas pluuiales resoluitur. Hæc eadem etiam gemma videtur mira posse facere. Nam posita in pelui in aqua clara, radios Solis mutat, & ex aëris repercußione, obumbrare videtur, radiorum Solarium claritatem, & quendam*

Heliotropii vires.

*dam inducere in aëre ſanguineum colorem, ac ſi Sol ex interpoſitione corporis Lunaris ad Solem, eclipticas pati tenebras videatur. Et ideo quia illa videtur mutare poſſe Solis claritatem,* Eliotropia. *hoc eſt, Solis auerſio, nuncupatur. Hoc autem maximè Æthiopica præſtat. Quod eleganter Marbodæus ſequentibus carminibus expreſſit.*

*Ex re nomen habens eſt Heliotropia gemma,*
*Quæ Solis radiis in aqua ſubiecta batillo*
*Sanguineum reddit mutato lumine Solem,*
*Eclipſimq; nouam terris effundere cogit.*

Gerentem hanc gemmam ] *Hoc Plinius manifeſtiſsimum exemplum magorum impudentiæ eſſe tradit. In multis aliјs hæc gemma commendatur: quia ſanguinem ſtringit, venena tollit, nec falli poterit, qui eam geſſerit.*

## *DE SANDASTRO ET Indica.*

### Cap. XXV.

IN Sandaſtro apparent nonnullæ guttæ ſcintillantes : quam formam ſtellatam, Gemma pontica quoque repræſentat.

*INDICA* gentium ſuarum habet nomen, ſubruffo colore, à colore violæ Ion ſic dicta: ſed raro ſaturo colore lucet.

### Annotationes.

*SANDASTRVS colorem in aureo rufum habet.*

*bet, in corpore fulgẽt aureæ guttæ, veluti in translucido stellantes, quæ quo plures fuerint, eo pretiosior gemma. non læsa ex incendiorũ ruinis eruitur.*

## DE LAPIDE LAZVLI & Armeno.

### CAP. XXVI.

CYANEVS gemma pretiosa existit, quæ vulgariter *Lapis Lazuli* nuncupatur, quę stellata rutilis punctis cernitur. In cæruleo n. colore, aureas guttas purissimas stellas repręsentãtes refert, quę aliorum pretiosorũ lapidum more polita, annulis inseritur. Vnde S. Epiph. hanc inter Sapphyri species describit. *Lapis Armenus eiusdem generis cum prædicto est: magis* tamẽ clarus, & fragilior existit, qui magni vsus in medicina & pictura est: præcipue vero colori vltramarino lapis Lazuli associatus, pulcherrimum colorem reddit.

### ANNOTATIONES.

Lapis Cyaneus vnde dictus.

*Lapis hic à colore nomen habet. Græci enim κυάνεον cæruleum dicunt: vel eum colorem qui inter nigrum & viridem, medium locum tenet. Arabibus* Lazuli; *Mesue*, stellatus; *Myrepso*, radiãs dicitur. *Similis est sereno cœlo. Deligitur inebriato colore, hoc est, saturato siue cæruleo coruscante, vt dicit Solinus c. 20. qui effoditur in orientalibus aurifodinis, maculas quasdam aureas stellarum mo-*

Lapidis Lazuli electio.

*modo radiantes habens, fractu contumax. Ex hoc lapide paratur color ille cæruleus, quem* vltramarinum *pictores appellant, quia forsan maris aquæ colorem superat, quem olim tam purissimum ac saturum Nicolaus Nicolutius, Ferrariensis pharmacopola parare norat, vt aliquando vnciam 1. centum coronatis aureis vendiderit. Lapis Lazuli & Armenus quadãtenus cognati sunt, quod non modo vtriq; simul in iisdem proueniant metallis, & in vna eademque massa frequentius. Ideo coloris propinquitate, eandem vim & pretium apud plerosq; obtinuerunt. Armenus tamen maxime viridis est, communicato colore cum caeruleo, rarissimus & è spectaulo læuis præsertim ac friabilis. Similis igitur facultatis aut nõ admodum disparis iudicandi sunt, vt alter alterius defectũ supplere possit. Nec Fuchsius in suis paradoxis audiendus, qui contra Arabes insulsè admodum contendit, quod lapis cyaneus atrã bilem nõ deponat, argumentum desumẽs mere ficulneum, quod nec Diosc. nec Gal. aut Paul. viri Græci vnquam illi facultatem educendi atram bilem dederint, cum constet multa Arabes post Gal. & Græcos inuenisse, quorum Græci nullam prorsus notitiam habuerunt, & eo magis, quia Galenus huic lapidi detrahendi facultatem tribuit, & vt experientia indicat, atram bilem. Huius vsus esse debet magna cura adhibita, ne factitij pro vero sumantur, quia Crystalli & vitra sic tinguntur, vt speciem Cyani exprimãt. Sed tactus maxi-*

Coloris cærulei vltra marini ingens pretium.

Fuchsii error.

*maxime linguæ, facile deprehendit fraudem. Etenim in Cyano frigidior est, in vitro tepidior. Vno ore testantur Arabes lapidem Cyaneum, vi putrefaciendi & vrendi præditũ esse: atque hanc ob causam volũt, vt non nisi præparatus, & lotura ablatis ipsius nocumentis vsurpetur. Quomodo autem lauari debeat, vt malignitatem suam deponat, id docent egregiè, Franciscus Vercellensis, & Georgius Melichius in ipsorum Antidotariis, qui hac in parte consulendi erunt. Huius vsum præclarè describit Antonius Musa Brassauolus in libro suo de medicinis purgantibus, sequentibus verbis: Lapidem LaZuli expertus sum, & drachmam nunquam excessi, & semper profuit: neque tormina induxit, qualia putabam, antequam essem expertus, inducere debere, neque ori ventriculi multum obesse percepi. Præbui itaque in pilulas confirmatum, in hunc modum. Recipe lapidis Lazuli præparati drachmam vnam, camphoræ, anis. cinam. Zinzib. mast. ana grana sex. Misce & cum succo saluiæ vel diacatholic. fiant pilulæ quinque. Hæ enim exquisitè eduxerunt, cum aliquibus drachmam vnam præbuerim, alijs scrupulos duos, vt conuenire videbatur. Exhibui etiam alijs modis. In puluerem redactum cum ijsdem aromatibus in iure quandoq;, quandoq; in aqua borraginis: sed opus est, vt in tenuissimum puluerem redactum sit, ne ob sui grauitatem, in pateræ fundum descendat. Posui quandoq; prædictos pulueres in vnciam*

**Lapidis Lazuli vsus.**

**Pilulæ ex lapide Lazuli.**

vnam

*vnam conseruæ borraginis, & deglutiendos præbui vt eclegmata deglutiuntur. Nonnunquam cuidam puellæ in ientaculi forma, scrupulum vnum præbui: nonnunquam in placentula ex pasta, sed qui masticabant, semper dentibus puluerem habere arbitrabantur:* Tamen *si probe supra porphyrium lapidem, porphyrino pistillo contractetur, haud persentitur: in vino etiam odorato bibendum iußi, vt in Cretico, aut alio simili.* Eisdem modis vsus sum Lapide Armeno, *& mirum in modum atram bilem educere percepi, huicque prædicta aromata addidi. Notato autem me esse expertum lapidem Armenum ex Germania, lotum & præparatum, & eosdem fecisse effectus vt ille qui ex Armenia Venetias asportatur, vel asportari dicitur. Minus vero molestat, quam faciat helleborum nigrum, Armenus lapis, & vehementius educit, quam lapis Cyaneus. Et hoc non solum Auicenna notauit, sed etiam addidit, nigrum helleborum esse dimissum ob eductionis molestiam, quam haud facit lapis Armenus. Hucusq; Brassauolus. Hodie duplex habetur, orientalis & qui in Germania effoditur. Orientalis cognoscitur eo, quod in igne colorem non amittit, sed illustrior euadit: Qui vero in Germania oritur, hebetatur, & colore minuitur.*

Lapidis Lazuli differentiæ.

Lapis Armenvs *melancholiam purgat innoxiè & validè: sed tamen vomitum excitat, nisi optimè prius lotus fuerit. Huius dosis est, scrupuli*

Lapidis Armeni vires.

*quatuor plus minusq; pro sumentis viribus. Bonus Alexander tantam in lapide Armeno confidentiam habuit, vt passiones omnes ab humore nigro, & præcipue melancholico ortas, cum eo curari posse crediderit. Nam qui ante ipsum fuerunt, in casu isto eius loco helleboro vsi sunt, quod valde periculosum esse ait; hunc lapidem autem sanctissimum, qui quinquagesies lotus, sine molestia humorem melãcholicum educit, & à scrupulis tribus, vsq; ad 5. de eo dabat. Pilulas item ex eo & hiera picra conficiebat. Hinc etiam Mesue eum plurimum commendat, de quo, vt docet à drachma 1. vsq; ad drachmam vnam cum dimidia, securè exhiberi posse ait. Quem insequẽs Anton. Guaynerius eo sæpissimè se vsum fuisse fatetur, & diuersimodè quidem, Deo que duce, in eius exhibitione nunquam deceptum fuisse. Accipiebat autem de eo scrupulos duos, croci scrupulum dimidium, macis scrupulum vnum, redigebat hæc omnia in puluerem, quem cum aqua modico Zuccari mixta, pro dosi vna dabat. Sic Ioannes Baptista Crato medicus Cæsareus inquit: Testari de lapide Armeno vere licebit, exhibitum aliquibus fuisse sine noxa, ad drachmam vnam, vsque ad scrupulos quatuor etiam. Lauisse autem oportet quinquagies. Manardus in curatione incubi pro purganda melãcholia, exhibet obolos quatuor lapidis Armeni, toties aqua pluuiali abluti, vt eius nec odor, nec sapor gustata aqua, sentiatur; quod fere post quinquaginta ablutiones fieri cõsueuit:*

Puluis Guayn. pro expurganda melancholia.

*uit: post quas iterum ter, aqua rosacea abluatur. Est autem cum melicrato bibendus. In alia epistola inquit lapide Armeno, bene iuxta Alexandri doctrinam abluto, & in catapotia quoque eius modo reformato plerunq; & in pluribus vsus sum, semperque iuuamentum subsecutum est, nec cum magno impedimento: bis tantum vomitum incitauit, sed qui postmodũ iuuerit. Mulierem cancro in mãmilla laborantẽ, ab ingentib. dolorib. liberauit. Alium à melãcholiæ morbo, cum iam fores esset egressus, bis vel ter acceptus, reuocauit. Non desunt, qui pueris à collo gestatum, nocturnos arcere pauores testentur. Oculorum aciem reficit atq; demulcet. Collo appensus, prægnantes ab abortu asserere perhibetur. Volunt autem appetente partu semoueri. Tyrolenses alpes, argenti & auri metallis, lapide quoq; Cyaneo & Armenio vero abundant, Ioanne Langio teste.*

## *DE PRASSIO ET CHRYsoprassio.*

### Cap. XXVII.

PRassivs & maioris pretii chrysoprassius, à colore succi porri sic appellatur, qui tamen à Topazio in aurum declinat. Gemma pulcherrima existit, quam nonnulli inter Achates: alii vero inter Beryllos referunt.

## ANNOTATIONES.

*Praßius colore viridis eſt, ad modum porri viridis, & raro ſine punctis vel maculis, quandoque rubeis, quandoque albis, vel etiam atris, inuenitur.*

*Domus eſt, materia & palatium Smaragdi, quia in ipſo vel ei affixus reperitur, vt Iaſpidis, marmor.*

*Hæc enim ſe obſeruaſſe Cardanus teſtatur. Tanto mollior ob id eſt Praßius Iaſpide, quanto Smaragdo durior.*

*Inuenitur & in Germania Orientali pulchrior, vt etiam Chryſolithus, ſed mollior eſt, qui venuſtatem tempore amittit. Ob id non eſt in pretio.*

*Vires habet Smaragdi, ſed omnes, vt par eſt, minores: tum eo magis quod in molem augetur. Qui Praßij alba linea diſtinguuntur, ſi puncta habent, Praßij ſunt, & minoris pretij: At ſi puri ſunt & plurimum nitent, ex genere ſunt Achatum.*

*Sunt qui velint eſſe Garamanticum propriumque gemmæ genus.*

**Praſſii vires.**

*Tradiderunt quidam de Praßio, ipſum veneno præſente, ſtatim viriditatem amittere, quæ tamen, cum abluitur, recuperatur. Ad confortationem cordis & oculorum caliginem valet.*

DE

## DE OPALO.

### Cap. XXVIII.

OPalvs pulchritudine sua omnes gemmas superat, cum colores quoscunque præstantissimarum gemmarum, simul reddat, cuius mater sola India est, quem recentiores gemmam *Pederos* esse censent. Magnitudine sua, Plinio id attestante, nucē auellanam non excedit. In quo Carbunculi tenuior ignis est, est Amethysti fulgens purpura, est Smaragdi virens mare, & cuncta pariter, incredibili mixtura lucentia, qualis olim 20000. sestertiûm æstimatus fuit.

### Annotationes.

*OPALVS est lapis diuersarum gemmarum coloribus distinctus. Habet & hic quoque certas species. Alij Opalorum æquant colores pigmentorum: alij sulphuris ardentem flammam: alij ignis, oleo accensi.*

Opalorũ differẽtiæ.

*Sunt & Opali certa vitia, si color eius exeat in Crystallum vel grandinem, aut in heliotropij herbæ florem, si sal, aut scabritia, aut alia oculis occursantia illi insint.*

Opali vitia quæ.

Cuius mater sola India] *Traduntur & Opali nasci in Ægypto, Arabia & Ponto; sed hi vilissimi; Galatia, Thaso, Cypro: sed hi mollius nitent, &*

Opalorũ patria,

*sunt scabri. Vide de his Plin. lib.37.cap.6. Maximi post Smaragdum est pretij. Raro ad nos affertur.*

Pederos vnde dictus.

Recentiores gemmam Pederos] *Pederos dictus est* ἀπὸ τοῦ παιδὸς, καὶ τοῦ ἔρου, *hoc est, à puero & amore, quod pueri pulchritudinem referat.*

Qualis olim] *Tanto in pretio & existimatione olim fuit, vt Nonius Senator, maluerit solum vertere, & dignitate senatoria priuari, quam insignem vnam quam habebat 20000. aureorum æstimatam, petenti M. Antonio tradere.*

Opali vires.

*Tot creditur habere virtutes, quot habet colores. Hic lapis oculos se portantis seruat illæsos & acutos, sed aliorum circumstantium oculos obducta nube recondit. Vnde quadam* ἀκρισίᾳ *percutit, vt non videant vel aduertant quæ fiant coram eis: & ideo asseritur furtis tutissimus esse patronus, vt in Lapidario dicitur.*

Pseudoopali descriptio.

Pseudoopalus *multum ab hoc degenerat. Candidus hic est, & nitet, sed non perspicuus:* oculum vocant catti seu felis, *qualem se habuisse Carda. testatur, qui ex altera parte candidus ac lacteus videbatur totus, ex altera autem fuscus admodũ totus etiã, adeoq; fuscus vt obscurus etiã appareret. Id quod illi ex lucis varietate minime contingebat: quandoquidem, seu ad lumen, seu versus tenebras conuerteretur, album semper colorem ex ea parte ostendebat, qua albus videri solebat, fuscum vero ex alia.*

*Itaq; eadem superficies, sola aspectus varietate,* ex

*ex aduersis partibus conspecta, colores duos ex toto contrarios ostendebat.*

## DE MALACHITE.
## CAP. XXIX.

MALACHITEM nonnulli Germani autores, gemmam esse dicunt, quæ in viridi diluto seu claro, Sapphyrum imitetur, quam nonnulli Turchinę speciē esse asserūt.

### ANNOTATIONES.

*Lapis hic à malua, cuius floribus assimilis est, nomen habet. Maluam n. Græci μαλάχην dicunt. viridis est, pallidus, nubilosus tot⁹, quasi pinguedine aspersus esset. Smaragdo similis est, spißioris tamen & densioris viroris existit quam Smaragdus. Crescit multum & pro manubrijs eo Sarmatæ vtuntur. In Cypro tamen etiam inuenitur. Germania quoq; nostra producit, præcipue Misnia & comitatus Tyrolis.*

Malachitis vires.

*Infantibus appensus, eos à vanis terroribus, singulari facultate tuetur, illisq; robur addit. Nam & illorum familiarißimo morbo, quem conuulsionem appellant, aduersatur. A nociuis quoq; casibus eos defendit. Huius quoq; lapidis magnam esse vim in roborando ventriculo, Crato astruit.*

## *DE LAPIDE TVRcico.*

## CAP. XXX.

LAPIS *Turcicus vel Turchina* in communi vsu notior est, quam vt de eius specie constet. Fortè à colore clarissimo nomen accepit: aut quod à Turcis aduectus fuerit. Reliquarum gemmarum more minimè transparet. Cuius duo sunt fastigia, à suæ scilicet propagationis loco nuncupata: Vnus *orientalis* nuncupatur, qui maiorem gratiam pręfert, & ex herbaceo, cyaneo quodam lactescente nitore, gratiam init non vulgarem. Colorem igitur præbet, ceu in cæruleum ex viridi, lacteum quid persusum imagineris. Alter *Hispanicus* est, colore vtcunque virente, subobscuro adeoque ingrato conspicitur. Raro citra rimam venulamue reperitur.

*Turchinæ differētiæ.*

*Turchinæ electio.*

Probatissimus tamen est, qui simplicissima & persimili substantia, purissimoque & citra omnem labem, colore, suam commendat iucunditatem.

*Turchinæ vires.*

Magnitudine maiorem fabam aut pisum nõ excedit. Huic admirandas proprietates & virtutes attribuunt. Si enim contingat, vt gerens hanc gemmam, de casu ab equo, vel alio eiusmodi periclitetur, videtur quasi compassione affici, adeo vt interdum rumpi

aut

aut de colore multum amittere illam contingat.

## Annotationes.

*Turchina gemma est obscurior, coloris cærulei ex viridi relucentis. A regione Turcica nomen sortita est. Resudat quasi gummi ex nigro lapide, in Persia frequens. Vocant Indi Perose. Veras explorant coloris mutatione. Interdiu cæruleum oportet esse; in nocte viridem ad lucernas. Minus probantur quæ non mutant. Item probatiorum aliud signum. Ima pars nigra, à qua nonnihil emergit interdum venularum, quæ sese insinuāt in superficiem. Tertio experimento commendantur. Calcem aqua solutam adliniunt superficiei. Si calx colorem excipiat, Turchinam aiunt esse optimam.*

Turchinę verę exploratio.

Magnitudine maiorem fabam] *Vidi tamen Turchinam nucis iuglandis magnitudine, in qua concinnè admodum expressa & sculpta erat C. Iul. Cæsaris effigies, in Repositorio Ferdinandi Medices magni Hetruriæ ducis, inter alias res pretiosissimas. Idem possidet cultros varios, quorum manubria Rubinis, Smaragdis & Turchinis, miro artificio tessellata sunt.*

Huic admirandas] *Mirum quid de diuinis eius virtutibus Autores scribant. Narrat enim Rueus, se vidisse vnam Turchinam, quæ domino mortuo, omnem splendorem amiserat, & velut rimam quandam contraxerat: in licitatione vili*

Turchinæ vires.

pretio à quodam empta ad pristinum splendorem rediit, quasi sensu quodam percipiens nouum dominum inuenisse. Hanc nonnulli Iaspidis speciem esse arbitrantur. Haec gemma in annulo gestata, si ex equo cadat homo, excipere omnem ictum creditur, & pro cadente in frusta rumpitur seruato homine. Adijciunt autem, oportere dono esse acceptam. Findi quin etiam, vel omnino ruinam aut maculam quandam afferre, appetente periculo dicitur. Sic etiam saepius mutatur atque expallescit, natiuoque colore destituitur, vbi qui hanc gestat, languescit, aut valetudinarius existit. Eadem rursus cum corpore reuiuiscit, ac colorem amabilem, qualis est serenissimi coeli, caeruleum exhibet, ex natiui caloris temperamento. Oculorum imbecillitati, contra omnes exteriores noxas multum prodest, & spiritus totius corporis confortat.

Garcias ab Horto in libro suo de aromatum historia contendit, gemmam hanc Smaragdi loco, confectionem de gemmis ingredi debere, & Mauritanos in medicinis suis non Smaragdo, sed Turchina potius vti: ideoque in omnibus ipsorum compositionibus quae Feruzegi habent, legendum esse Peruzegi, & Turchinam accipiendam esse. Errorem autem ortum fuisse refert, ex cognatione literarum F & P apud Arabes maxima, qua decepti Librarij alteram pro altera reposuerunt, & sensum autoris corruperunt. Sententiae suae testes facit Garzias, codices Mesue, lingua Arabica scriptos,

quos

*quos visos & consultos sibi esse refert. Quam obseruationem hoc loco omittere nolui.*

## DE ALECTORIO.

### Cap. XXXI.

GEmmas præterea alias mira proprietate præditas in animalibus reperiri narrant. Alectorius voce Græca sic dictus, quasi lapidem galli diceres, quem Plinius in ventriculis gallinaceorum antiquorum, obscuro crystallo, colore & substantia similem inueniri testatur, nisi quod paulo crassior apparet. Fabæ magnitudinem non excedit. Portatus hic lapis, hominem victoriosum & inimicis suis in certaminib. inuictum reddit potestate solari qua pollet. Cuius quoq; mentionem facit Diosc. lib. 2. c. 43. dum in interiore ventriculi galli sinu, residere membranam dicit, quæ cornu specie similis sit, quæ siccata tritaq; in vino, conuenientissimè stomachicis in potu detur.

*Alectorij vires.*

### Annotationes.

*In animantib. etiam generantur lapides, præter naturam ipsorum, vt illi, qui inter morbos censentur. Et non tantum in vna parte corporis, sed in variis partib. fiunt, vt in iecore, pulmone, cerebro, vesica, intestinis, venis. Quorum omnium efficientem*

Lapides in animalib. vnde generentur.

*cua-*

*causam esse frigus cum quibusdam existimamus. Nam quanquam in locis calidioribus fiant: tamen quia materia terrestris & viscosa, insitum naturale frigus habet, calor ille non est causa per se, sed tantum per accidens illorum lapidum, quatenus per antiperistasin auget frigus. Alij lapides in animalis corpore fiunt statis naturæ legibus. Sunt hi plerunque pretiosi, nec fiunt in quouis animali, sed certi in certis, vt, Alectorij, in ventre galli; Borax, in capite Bufonis; Limacius in capite Limacis, quæ cortice non tegitur: margaritæ in conchylijs rotundis & oblongis, quæ in imo mari moram ducunt.*

*Generantur itẽ in animalibus imperfectioribus, vt limace, piscibus, cancris, & ferè in Zoophytis. Si quis more aliorum, frigore generari, ex materia terrestri velit, non multum fortasse aberrabit. Nobiscum faciet, multoque verius sentiet, qui lapides in huiusmodi animalibus, occulto quodam naturæ instituto nasci dixerit.*

Verior sententia.

Alectorius voce Græca] ἀλέκτορα *enim Græci gallum dicunt. Lapis est crystallini aut aquei coloris.*

Alectorius vnde dictus.

*Extrahitur autem ex ventriculo galli postquam castratur supra quartum annum. Quidam post nonum extrahi dicunt. Melior est de gallo decrepito.*

*Sunt qui ex iecore quoque eum extrahi tradant. Qua ratione refert Agricola, in capi iecore, inuen-*

*inuentum fuisse lapidem candidum, subfuscum, & superiore parte qua arctior ad dexteram extuberat, fuscum: inferiore, qua latior, cauernosum: cæterum pro loci natura incredibilis magnitudinis: longum vnciam 1. altum sescuncem: latum digitum. Plerunque figura sunt lupini, magnitudine eiusdem aut fabæ, modo in cinereo candidi: modo fusci coloris, sed diluti: nunc vero crystallina specie, sed coloris obscuri, quæ fibras interdum habet subrubras.*

*Recentiores quidam, non ex gallo mare, sed castrato, hunc lapidem haberi putant. Vnde quidam lingua vernacula interpretantur* Cappaunenstein / *hoc est, caponis lapidem.*

Alectorii vires.

*Alectorius lapis ore inclusus, ac sub lingua positus, sitim ac cordis æstum arcere, experimento non raro constat. Vnde Wilhelmus de Conchis capum qui hanc gemmam secum habeat, nunquam sitire scribit. Milo Crotoniates, qui Prisci Tarquinij temporibus vixit, alectorio fretus, præter Tytormum Bubsequam, qui roboris excellentia bouem constantissimè tenere potuit, omnes pugiles vicit.*

Cuius quoque mentionem ] *Galenus eos irridet, qui interiorem tunicam stomachi gallinarum, tanquam stomachicorum præstans iuuamentum laudant, quam tamen Dioscorides in præsenti summopere valere contendit.*

# DE CHELIDONIO.

## Cap. XXXII.

CHelidonivs ab hirundine nomen accepit, quem Diosc. cap.49. in ventre pullorum hirundinis dissecto, reperiri dicit: è quibus binos interdum reperire est, vnum colore varium: alterum vniformem concoloremq;. Ruffum Marsilius Ficinus, in collo amuleti loco appensum, ad morbum comitialem auertendum, vtilem esse perhibet: in casu quoq; patientem recreare, melācholicum curare, hominemq; amabilem & lætum reddere.

*Chelidonij vires.*

## Annotationes.

Ventre pullorum] *Chelidonij in ventriculo hirundinum primo partu exclusorum, reperiuntur figura globi ferè dimidiati semperque intus caui. Qua de causa admodum tenues existunt. In eminentia sunt plerunq; rauo, sed diluto colore, in caua conuexitate purpureo, nigris interpellantibus maculis. Atq; ob id duæ eorum species esse videntur. Lapilli magnitudine sunt seminis lini forma quoq; simili. Et licet hi parui sint & deformes; virtutibus tamen maioribus impares non sunt, imo multò alijs maiores. Fertur autem quod pulli gestantes lapidem, hoc signo cognoscuntur: quod in nido sedent conuersis ad se inuicem vultibus. Nam cæteri qui*

Hirundinum pulli lapidem Chelidoni

*qui non habent lapidem, posteriora ad se conuertunt. Extrahi a. debent Augusto mense, ante plenilunium, viuentib adhuc pullis, & absente matre. Tunc enim extracti efficaciores habentur, & frequenter duo simul in vna hirundine inueniuntur. Si bini fuerint, alter plerunq; rufo, alter nigro colore cernitur. Probatissimus est, si vnicus tantum adsit, isq; aureis guttulis insignitus.*

um gestantes, quo signo cognoscatur.

Rufum Marsilius Ficinus] *Cum eo consentiunt quoq; Plato, Dios. Sextus Platonicus, Georg. Agric. Idem confirmat quoq; Alexander Trallian. his verbis: Mirificum hoc ad comitiales remedium est. Duo lapilli in hirundinum pullis dissectis inueniuntur: quorum vnus quidem niger, alter vero albus existit. Comitiali collapso eos imponito ac ipsum excitabis: nigrum vero cuti alligato. At hirundines dicuntur primo pullo hos lapillos dare, qui non facile inueniuntur, nisi vniuersis pullis dissectis. Hæc ille. Sic autor additionum in breuiario Arnoldi antidoto cuidam contra epilepsiam, lapidem hirundinis admiscet.*

Chelidon. vires.

*Horum qui albi maxime fuerint, si in manu etiam singuli teneantur, aut circa caput lino nectantur, veterrimos & diutinos capitis mulcent dolores, nisi contactu terræ, lapillorum potentia minuatur. Iidem si lupino aureo includantur & collo suspendantur, omnem oculorum dolorem perpetuo auertent: qua ratione à nõnullis ad oculorũ collyria adduntur. Sed & contra quartanas*

*tanas prosunt, linteo vel panno croceo inuoluti, linoque ad collum validiore suspensi. Si quid in oculos inciderit, imponuntur. Nam cum minimi & leuissimi sint, nec mole obsunt, nec figura, aut angulis molesti sunt: sed palpebrarum compressione, id quod inciderit, emouere & elidere possunt. Dextro brachio suspensi, epaticos perfecte sanant, vt Kiranides docet. Rufus præsertim, sub sinistra axilla in linteolo, vel corio vitulino gestatus, maniam, item epilepsiam & Lunaticos curat: & gestantem omnibus gratum & acceptum facit.*

## *DE DRACONTIA.*

### CAP. XXXIII.

DRACONITES siue *Dracontias*, teste Plinio, lib 37. cap. 10. è cerebro fit draconum: sed nisi viuentibus adimatur, nunquam gẽmescit. Igitur mos est, vt dormientibus draconibus caput amputent, quo hoc lapide potiantur. Est autem candore translucido, nec potest poliri, aut artem admittere. Quale vero animal draco ille sit, id Plinius lib. 9. cap. 27. explicat, esse scilicet draconem marinum: quo loco tamen huius gemmæ non meminit. Multo minus hunc Dioscorides describit, præterquam quod animal marinum esse asserit. Albertus vastum animalis genus existere affirmat, quale

etiam

etiam depingitur cum facie serpentis, aliis breuibus, quod pernicitate sua vniuersos pisces superet. Hunc Aristoteles lib. 9. de historia animalium, cap. 37. serpentem marinum appellasse videtur. Aliud quod referam, non habeo. Marsilius Ficinus vidisse se eiusmodi lapillum testatur Florentiam aduectum ex India, ibi è capite draconis erutum, rotundum, ad lupini figuram, punctis ordine quamplurimis quasi stellis naturaliter insignitum, qui aceto perfusus, in rectum parumper mouebatur, inde in obliquum, mox ferebatur in gyrum, donec aceti vapor exhalaret. Similem ego vidi alium quendam Romę: ex qua tamen animalis specie excisus fuerit, mihi non constat.

## ANNOTATIONES.

Sed nisi viuentibus] *Dracontias lapis non est, nisi detrahatur viuentibus. Nam si obeat prius serpens cum anima simul durities solita euanescit, vt Solinus scribit.*

Igitur mos est] *Autor Sotacus gemmam hanc etiam sibi visam scribit, & quib. intercipiatur modis, edocet. Præstātißimi audacia viri, anguium explorant foueas & receptus: inde præstolati, ad pastum exeuntes, bigisq; prætervecti, percitis cursibus, viso dracone, grana medicata, ad soporem inducendum facientia, obijciunt. Ita somno obsopitis,*

Quibus modis. Draconites ex capite draconis eruatur:

*pitis, è capitibus exsecant lapides, & de manubrijs; præcipitis ausi, prædam temeritatis reuehunt. Alium modum refert Philostratus lib. 3. Pallium, inquit, coccineum, literis aureis superintextum, ante cubiculum extendunt. Scripta autem incantatoria verba, somnum dicuntur inducere. His Draconum oculi quam durissimi, superantur. Ipsi quoque plura verba, ex arcana sapientia superincantantes; eo Draconem perducunt, vt literis pallio intextis superdormitet. Dormientis autem instantes Indi ceruicem securi feriunt, scissoque capite, lapillos intus extantes, auferunt.*

*Traditur enim, montanorum Draconum capitibus inesse lapillos specie & aspectu iucundos, & splendorem quendam coloribus inducentes: viribus autem potentiaque mirabiles. Quod annulus testatur, quem habuisse Gigem vulgatum est.*

*Euenit autem interdum, vt draco Indum cum securi & arte, intra cubile trahens, deuoret, ipsum etiam, vt pene dixerim, montem concutiens.*

*Tales autem Dracones montem, qui ad rubrum mare pertinet, incolere dicuntur, eorumque horrendos sibilos audiri: quoniam etiam mare ingressi, longius natando prouehuntur.*

*Ex qua narratione patet, animal hoc amphibium esse, quod in terra marique æquo modo viuere valeat.*

Hic

*Hic lapis venena omnia, præcipue serpentum, fugat.*

Draconitis vires.

## DE LAPIDE BEZOAR.

### CAP. XXXIV.

LAPIS Bezoar, qui pariter generatur in visceribus Indici animalis, *Capricerurus* vocati, à figura parui cerui & Capreoli, ab Arabibus Medicis primum, ante quingentos annos circiter, inuentus fuit. Quem testantur (prout scribit Rhazes, qui illorum tempore vixit) incomparabilem virtutem corroborandi cordis obtinere: aduersus venena quoque & febres pestilentes, remedium esse præsentissimum.

In tantam hic venit existimationem, vt Arabiæ quidam princeps Almirama cum ope eius, vitam à morte redemisset, pro vno ex his magnificam, ac prope regiam ædem, quam Cordubæ habebat rependerit, sic attestantibus scriptoribus.

Vnde postea tanti æstimatus fuit Bezoar, vt omnem medicinam, morborum malignorum sæuitiam frangentem, per excellentiam, *BEZOARTICAM* nuncupauerint, hoc nomine in hunc vsque diem durante, eo, quod hominem à morte præseruet ac liberet. Mirandum vero est, post-

quam cunctæ res sunt in continuo fluxu, dum vel mutantur, vel deficiunt, quod multo abhinc tempore, vera eiusmodi lapidis species, nec in Arabia, nec in Oriente, reperta fuerit: verum dubitatur, ne mercatores illarum partium, auaritia ducti, arte quadam adulterent, & colore quodam illum obducant; quemadmodum & aliis rebus Chymicis vsu venit. Artificium vero ex politura cognoscitur. Naturales enim Bezoartici lapides rudes sunt & inæquales: quales sunt illi, qui ex vesica hominis calculo laborantis, exscinduntur; minime politi, qui dum saliua hominis, plantæ manus affricantur, relinquent ibi quandam tincturam & maculam: id quod à vero Bezoar minimè fit. Falsos vero illos esse ex forma sola cognosci deberet, qui formam renum, aut oui columbini æmulantur, læuati & expoliti exterius, qui si frangantur, frusta relinquunt dura, terræ coctæ aut gypsi more, qui tamen non secus pro Orientalibus & pretiosioribus venduntur. Postquam vero inuenta noua Hispania cum Insula Peruuia, hodie idem, aut illi non absimilis lapis Bezoar in vsum rediit, qui ex India Occidentali, & montibus Peruuię, quibus in locis magna copia horum animalium extat, ex quibus lapis hic per incolas eruitur, non desunt qui dubitent, vtrùm hi lapides eas-dem

*Qua ratione veri lapides Bezoartici à falsis discernatur.*

dem facultates cum Orientalibus obtineant, quæ ab Arabum ſcriptoribus illis aſſignatæ fuerant. Quibus ego reſpondeo: Orientales reuera in hoc genere, bonitate reliquos excellere, eo quod in fronte aſpectum Solis orientis obtineant, qui rebus maiorem vigorem & virtutem infundit, reſpectu occidentalium, qui reſolutis per calorem diei partibus ſubtilioribus & alimentalibus, vapores aduſtiores, minuſque efficaces accipiunt. Quamuis dubium quoque ſit, an ex Oriente alii adducantur Bezoartici lapides præter adulterinos: certum tamẽ eſt, quod occidentales ex prædictis animalibus exſcindantur.

*Vtrum lapides Bezoartici orientales eaſdẽ virtutes cum occidẽtalibus obtineant.*

Animal hoc capreoli proceritate eſſe ferunt, minimeque ad magnitudinem cerui accedere, cum pilo fuluo longiore ſubtilique bombacis ad inſtar, ex quibus lapides hi ſine omni dubio eruuntur. Quorum quidam paruam nucem: alii amygdalarum oſſa vel fabam, magnitudine ſua referunt, pro maiori vel minori ipſorum augmento. Vt plurimum autem exterius ſcabri ſunt cum colore viridi, qui in fuſco ruffeſcit, quaſi partim ſanguine, partim humore ab animali relicto, tincti eſſent: minus tamen maturi, cinerei ſunt. Senſim vero aggeritur circum feſtucam laminatim, inſtar tunicarum cepe, ſic vt prima lamina ſublata, quæ ſequuntur, clario-

*Capricerui deſcriptio.*

riores & ſplendidiores,quo vlterior progreſſus fit, appareant,quarum nonnullæ exterius ſplendorem auri repræſentant. Teruntur & in puluerem leui rediguntur negocio. Aluarus Torreſius, illarum partium Medicus haud incelebris,qui ex Lima Peruuiæ ciuitate,varia genera huius lapidis mihi tranſmiſit, de quib. infinitas experientias habuit, optimo iudicio,non tanta de ipſo prędicat miracula, quanta Arabes ipſi aſcripſerunt: verum vna vice, ſeptem granorum pondere, cum vino abſente febre: vel præſente ea,cum vncia vna aquæ acetoſæ exhibet. Præter partium ſpiritualium corroborationem, multis copioſum admodum ſudorem mouere ſolet:qua ratione à mortis periculo ipſos vindicat. Id quod ego compluribus experimentis ſæpe confirmatis, compertum habeo. Et quod longe eſt majoris momenti hoc remedio ſecure & citra damnum aliquod vti poſſumus, cum temperatis qualitatibus polleat, minimeque aliorum lapidum & Antidotorum more exſiccet. Periculoſiora vero ſunt infinita alia adulterina, & propterea ceu deleteria venena vitanda, nec ſumptus illis fruſtrà impedendi erunt. Quapropter præcepta nonnulla vtilia ad gemmarum pretioſarum cognitionem facientia hic afferemus,& huic parti finem imponemus.

*Lapidis Bezoartici vires.*

AN-

## Annotationes.

Vnde Bezoar] *Inter antidotos principatum sibi arrogauit lapis Bezoar, adeo vt, per ἀντονομασίαν, quicquid toxica elidere creditur, ea insigniatur denominatione. Hinc electuaria & pulueres Bezoartici, ex Arabum gazis accersiti: & quot sunt venenorum species, totidem Bezoar statuunt, vt cuilibet veneno peculiaris sit Bezoar. In Etymo varii sunt autores. Etenim cum venenum immediatè naturam destruat, Arabes propria lingua nominarunt antidota contra venena,* Bezahart, *quasi vitam conseruantia. Cardanus corruptè legi* bezar *contendit, asserens,* Pazar *gemmam esse mollem, & cinerei coloris, auellanæ magnitudine, omnibus venenis egregiè resistentem, in Pelij orientalis Indiæ regione repertam.*

Bezoar lapidis variç appellationes.

*Ibidem esse radicem bezar venenatissimam, quæ statim occidat. Eius verò fructum* Nirabri, *& contra eandem, & alia quæcunque venena, præstantissimo esse auxilio.*

*Sunt, qui Persidi Bezoar inquilinum dicant,* Pazar *illic vocatum à* Pazan, *hoc est, hirco, in cuius ventriculo reperiri asserunt. Vnde mutuati Arabes Bezar, Indi Bezar promercalem dixerunt lapidem, cum circum, & forum, vbi mercimonia exercentur, Bazar denotet: Hebræis* Belu zaar *appellatus, quasi dicas, dominus veneni, cum*

*Baal & Bel, dominum illis significet: vnde Beli regum denominatio apud Chaldæos.*

Quibus ego respondeo] *Obseruandum est, gemmas non æqualiter vires suas in quosuis exercere; sed pro sympathia & simili temperamento. Quemadmodum in plantis & succis, qui in medicina præbent vsum, videre est: quæ in maiore vel minori dosi, corporibus, secundum temperamentum prosunt: Et aliquanto propter antipathiam, nihil sumentes iuuant. Et vt pro ratione loci validiores aut infirmiores vires habent plantæ: ita gemmæ excellentiores habentur, pro ratione loci in quo crescunt: vt orientales cæteris præferuntur.*

*Virtus enim Solis in Oriente efficacior est, quam in Occidente: propterea multa quoque inibi proueniunt, quæ in alijs orbis partibus nusquam comperiuntur.*

*Cuiusmodi sunt gemmæ, aromata, & id genus plura, quæ ampliorem expetunt caloris copiam, vt sunt leones, tygrides, elephanti: quæ omnia in ijs locis, quæque ad Austrum innuunt, affatim succrescunt.*

Vt plurimum autem exterius] *Lapis Bezoar colore multum variat. Quidam enim colorem habent citrinum, & veluti puluerulentum: quidam præditi sunt colore balio obscuro: nonnulli viriditate participant: sunt qui albedinis aliquid præ se ferant. Melior vero omnibus est citrinus, & post ipsum puluerulentus.*

Sen-

Sensim vero aggeritur] *Miro naturæ artificio, per laminas sese mutuò amplexantes, amplificatus, vt in ceparum putaminib. & inuolucris videre est: quo pacto & vesicæ calculos omnes, principio è renib. ducto, pedetentim succrescere, autor est Fernelius, vt Aquilinus, quē Aëtiten dicunt medio cauus, nisi quod loco lapilli, puluisculum eiusdem materiæ, pollentiorum tamen virium, continet. Glaber & leuis est, splendore coruscus, &, quod bonitatis argumentum, succedens pellicula vel laminula, superiore splendidior est.*

Teruntur & in puluerem] *Lapis Bezoar facile abraditur, vt Alabastrum: ore detentus, in liquorem abit: comminutus scintillat: vbi longam in aqua moram traxerit, dissoluitur.*

Lapidis Bezoartici vires

*Hic lapis à proprietate omnibus venenis resistit, animaliumq; venenatorum morsibus & puncturis confert: si ex eo accipiatur pondus duodecim granorum hordei: aut quando fit linimentum cum eo super locum morsus.*

*Extrahit enim venenum per sudorem. Et si locus vbi morsus est, putrefactus fuerit, & puluis huius lapidis vulneri inspergatur, mundificatur & curatur. Et quando ponitur in annulo & reponitur in ore eius, qui sumpsit venenum, & aliquantulum sugit, confert ei.*

*Huius lapidis tria grana, cum aqua destillata ex floribus arantiorum vel herbæ scorzenoræ ebibita, contra venena præstantissimum sunt alexite-*

 *rium:*

rium: cum acetosæ vero aqua bibitus, febrium pestilentium malignitatem extinguit. Iis quoque plurimum confert qui absq; manifesta causa mœsti sunt & angustiis oppressi, quos reficit & exhilarat. Tria huius lapidis grana cum aqua liliorum alborum, betonicæ vel pulegii parturientibus exhibita, secundinas remorantes certo experimento educunt.

Tradit Amatus Lusitanus se expertum fuisse, vigente febre in aqua portulacæ datum, vel sine febre in vino potum, vermes necare: rebellem pleuriditem huius potu domari: Vterer autem aqua scabiosæ aut cardui benedicti. Inquit Crato: Dedi laboranti ictero nigro lapidem BeZoar, & minxisse vidi tam nigra, quam atramentum est, meliusque se habuisse. Deleteriis vero extremum mulieri excidium Matthioli historia, capite de napello indicat, & quam ad calcem huius capitis adiiciemus, epistola de prodigiosis & pene portentosis BeZoar lapidis viribus plura referet. Notandum tamen hoc loco est, lapidem BeZoarticum non curare, nisi adsit dispositio venenosa, in corpore à veneno, vel illi non absimili, producta: quia hi lapides corpori conferunt virtutem quandam, quæ est contraria virtuti veneni. Sunt enim medium quiddam inter corpus & venenum, ita, vt sint ex vna parte sicut venenum, & sicut medicina, ex alia, non quod sint medicinæ ex parte qua sunt venena.

Non

*Non enim absurdum est, actiones siue operationes diuersas, ab vno agente prodire, pro subiecti & locorum dispositione varia. Vnde sani homines ab eorum esu abstinere debent.*

*Ex hoc lapide tempore pestis, in officinis bene constitutis, tabulæ præparantur, quæ miram vtilitatem præstant.*

## *BEZOAR LAPIDIS DESCRIptio ad Reuerendißimum & Illustrißimum Archiepiscopum Strigoniensem.*

### CAP. XXXV.

BEZOAR seu Bezaar lapis est oblongus & rotundus, glandem fere quercinam, absq; sua capula imitatus, foris leuis ad colorem, & quasi speciem ferri igni perpoliti accedẽs, intus vero cineritius. Pondus illi est leue, & hoc perfectioni attribuitur. Nam licet extrinsecus densior ac solidior videatur: vbi rumpitur fragilis tamen & porosus apparet, sine aliqua arenositate: inter dentes si ponatur, dissoluitur ac si panis crustula esset. Sapor illi nullus, vel potius gratus est. Adfertur ex Persia Constantinopolim, & per Callicuth in Portugalliam. Generatio eis dubia: siquidem affirmant alii, in ventticulo syluestris Capræ, veris ac æstatis tem-

*Lapis Bezoar vnde generetur variæ opiniones.*

pore,

pore, ex herbarum quarundam ſucco quibus illæ victitant, congregari Accedente vero hyeme ac autumno, vbi alia ſibi defecerint pabula, hunc ruminari, & pro pabulo vti. Rem ita, inquiunt, ſe habere indicium eſt quod eædem capræ principio veris, aut in fine hyemis captæ, lapide prorſus careant, cum tamen autumni principio, nobilitatem ſemper habeant. Præterea videtur hic lapis per additamenta, & quaſi tunica tunicæ ſuperinducta effigiatus. Addunt etiam, plerunque dum franguntur, vacuitatem quandam in medio apparere, in qua vt plurimum feſtuca paleæ reperiatur. Alii cerui lachrymam eſſe ſtatuunt, dicuntque in illis deſertis regionibus, vbi cerui valde conſenuerunt, ſerpentes venari, atque vbi illorum plurimos deuorauerint, facilioris concoctionis gratia fluminibus & aquis, ad collum vſque, ad aliquot dies ſe continere, quo tempore paulatim incipit lachryma aliqua ex oculis defluere, indurarique, & pedetentim augeri magis & minus, prout apparet. Ac licet de ortu eius nobis non admodum conſtet, effectus tamen & operationes ſuæ mirabiles, experientia pluries confirmatę, haud quaquam ſuſpectæ nobis eſſe debent: quin potius, meo quidem iudicio, medicina eſt ſalubris & benedicta, humanæ naturæ amiciſſima, ex qua

indi-

indicibili sympathia, operationes suas mirabiles edit; non quod calidus, humidus, frigidus, siccus sit, cum omnis saporis expers reperiatur. Maior dosis est decem granorum frumenti pondus: licet crediderim ego, impunè posse vnum atq; alterum scrupulum etiam à sanis absque periculo aut nocumento aliquo sumi. Et Imperator ipse Turcarum sæpius in anno, etiam tempore sanitatis assumit. Datur pueris contra vermes & in febribus malignis, quod & Montanus & Amatus scriptis tradidere. Dicunt præterea, quod morbis fere omnibus & præsertim venenosis auxiliatur. Nos vero sacratissimę Cæsareæ M. iussu, quatuor experimenta sui huc vsque vidimus; in duobus nempe reis, lege supplicio damnatis, quibus venenum studio oblatum est, & in duobus præterea aulæ Maiestatis suæ nobilibus, vehementiore morbo afflictis. E quibus primus Dominus Scander sese nobis offert, qui cum longa & graui ægritudine, cum ingenti omnium membrorum, & pulsus imbecillitate, OEniponte decumberet, nauseabundus, ac in ventriculo & præcordiis vehementer dolens, annum agens 75. oblata sibi lapidis Bezoartici grana quinq; in cochleari vini fuere. Nulla illo die subsecuta est alteratio nullaq; immutatio. Noctu tamen melius quieuit. Sequenti die attollebat

*Prima historia nobilis cuiusdã ope lapidis Bezoar ex grauissimo morbo liberati.*

bat brachia, & crura ad se contrahebat, quod antea haud quaquam facere potuerat. Trib. postea elapsis dieb. vomitum quidē biliosum habuit, qui præcordiorum & stomachi dolores finiuit, ac licet longo adhuc tempore decubuerit, credo nihilominus suæ salutis fundamenta Bezoar extitisse. Laborauerat postea D. D. Staphylus, sedecim continuis diebus acuta febre, maligna & sopita, ab affectu renum suum sumente initium, abhorrebatque ab omni ciborum genere, nauseabundus, de capite sæpius quæritans; nihil nisi de morte loquebatur, delinquebatq; frequēter animo. Habebat sedes colliquatiuas, cum ani exitu doloroso. Vrina erat turbida, cruda, & fere subiugalis. Articuli, & præsertim genua, dolebant, lassitudo ingens, facies Hippocratica, oculi in dormiendo aperti, & ob vehementem virium corporis imbecillitatē, ad pedes delapsus. His ita se habentibus, cum de vita illius, ab omnib. minus speraretur, motu proprio clementiæ Cæsaris, septem grana, huius pretiosissimi medicamenti, sibi in vini cochleari fuere oblata. Non tamen erat stomacho tunc omnino ieiuno Staphylus: siquidem medium oui vitellum per semihoram ante sumpserat, biberatq; aliquid. Porro hora à Bezoartica assumptione elapsa, bonū haustum seri caprilli calidi cum zuccaro ebibit,

bit, & intra ſemihoram adhuc etiam. Subſecutæ iſtos, ſex vel amplius ſedes cholericæ & fœtidę ſunt, cum quadam tñ faciliori tolerantia ſolito: poſſumque verè affirmare, illum intra hoſce quindecim ægritudinis dies, in totum, quantum medietas cruciati panis ſit, minime comediſſe. Cum nocte illius diei, cœnæ ſuæ, vna cum D.D. Stephano intereſſem, paropſidem hordei in iuſculo cocti plenam tanto appetitu comedit, vt nos illud intuentes, lethalem quandam auiditatem potius, quam famē eſſe, crederemus. Et dum inter edendum, nos ambo ipſum, ad ſtrenuè edendum, ſi ſeruari cuperet, cohortaremur ac laudaremus: reſpondit, ſe ideo comedere, quod cibus ſibi placeret, alioqui inaniter nos noſtra iactaturos verba. Fuit nocte illa Reuerendus Pater Canyſius in iiſdem ædibus, veritus ne Staphyli obitus ſequentem lucem præueniret Quieuit nihilominus ita placidè noſter infirmus, vt potuerit ſeruitio corporis, & conſolatione ſimul animæ carere. Manè cum rectà aſcendere dubitarem, fit mihi Pater Canyſius obuiam, ſpem meliorem ſalutis de infirmo afferens, & ex illa hora, res in melius ſtatim & continuata ſerie ſunt progreſſæ. Primus ex reis, cui Bezoar poſt venenum oblatus eſt, fuit ante biennium Pragæ, qui cum per aliquot dies in car-

*Hiſtoria 3. rei, vſu lapidis Bezoartici ab aſſumptione napelli liberati.*

carcere detentus, ſolo pane atque aqua fuiſſet vſus, atque præcedente nocte prorſus incœnatus, drachma pulueris napelli fuit oblata. Erat corpus pręcedente dięta valde pręparatum, venæ inanitæ, & meatus omnes aperti, ex quo facilime veneni vis ad extrema quoque membra diſtribui illis potuit. Superuenere accidentia, nempe anguſtia pectoris, dolor ſtomachi, oculorum obtenebratio vertiginoſa, pulſus immutatus. Cum vero infirmus aſſereret, ni ſtatim ſubueniretur, ſe ſe penitus deficere, oblata illi quinque grana remedii in pauco vino ſunt: continuo alleuiatus eſt. Paulo poſt, non ſine tamen anguſtia, euomuit, & bene ſperabat. Nihilominus ſciebat, materiam circa ſtomachum aggregari. Pars poſterior capitis & collum dolebant: inde cœpit delirare, & canebat alte in folio quodam lacero. Præteriit delirium recurreruntq; alia ſymptomata, dolores ſcilicet ſtomachi, capitis, maxillarum, pectoris, modo vnius, modo alterius iuncturæ. Verum ſeptem horarum ſpatio omnes doluere, venter intumuit, quaſi hydropicus eſſet. Erant præcordia cum dolore & duritie tenſa, ſenſit punctionem in renibus, vrina ſuppreſſa, item eſt vno brachio, & præterea crure reſolutus. Pulſus ſæpe fuit interceptus & febriculoſus. Vomuit illo die aliquoties, habuitq;

habuitq́; ſedes, ſed perpetuo de duritie quadam frigida, ac ſi lapis quidam in ſtomacho foret, nobis eſt conqueſtus. Vltimo vero, de quo aſtantes omnes mirati ſunt maximè, ophthalmia quædam lippitudinoſa illi ſuperuenit, adeo dolorifica & horrida, vt patiens ipſe mori potius, quam paulo magis cum tali dolore perſeuerare cuperet. A veneni aſſumptione, per horas quinque ne guttam quidem ſumpſit, vt eo certius procederet experimētum. Conquieuere ſpatio octo horarum hæc omnia: noctu cum voluptate cœnitauit quieteque dormiuit. Mane erat ſaniſſimus, neque membrorum læſio vlla eſt ſubſecuta, prout ego quinque vel ſex menſium ſpatio ſum percunctatus. Factus eſt liber, & etiam à Sacra Cæſ. Maieſt. liberaliter donatus. Altera etiam experientia fuit, decima proximi menſis Decembris hic Viennæ celebrata, in quodam adoleſcente, nondum vigeſimum attingente annum. Habitus corporis erat rarus, & quoquo pacto cacheticus & à carcere tabefactus. Præceſſerat etiam in ipſo tenuis diæta, neq; nocte præterita dormierat. Exhibita eſt illi arſenici pulueriſati drachma dimidia cum zuccaro. Hinc ad horam, grana decem bezoartici lapidis in aqua borraginis ſunt ſibi potui data. Sciſcitatus poſtea, qualis ſtatus ante remedii aſſum-

*Quarta hiſtoria facinoroſi eodem lapide liberati cui arſeni cum propinatum fuerat.*

ſumptionem in eo fuiſſet: Dicebat, ſe prius magnum ſtomachi cum eroſione ſenſiſſe incendium, fauces ardore quodam detentas, oculos cum vertigine fuiſſe obtenebratos, nō intellexiſſe loquentes, neq; nouiſſe homines. Epoto vero medicamento, ſtomachum fuiſſe illico refrigeratum, oculos apertos, inquietudines & anguſtias multas, quas prius vniuerſo corpore ſenſerat, ſublatas. Percontatus, an genua dolerent; id aſſeruit, & cum punctione: quod venenorum ferè omnium propriū eſſe credo. Paulo poſt ſecutus eſt dolor ſtomachi, ardor gutturis & ſputum ſalſum, cui vomitus phlegmatis veneno permixti ſucceſſit: alleuiatus eſt parū, neq; diu moratus, conqueſtus eſt de ventris dolore: quare ferreis vinculis, è pedib. remotis, vnā habuit fere naturalem ſedem, ex qua ventris dolor quieuit. Recurrit vero intra ſemihoram ſtomachi dolor nauſeatiuus, exſpuit amarum, extremitates ſunt refrigeratæ. Dicebat ſe quaſi conuolutum filum aut linum in ore ſtomachi & œſophago ſentire, quę phlegmatis craſſi & vitrei per vomitum excretio eſt ſubſecuta Inde à vexantibus ſymptomatibus alleuiatus, iterum inquietior factus, doluit venter, caput & genua, hypochondria tenſa ſunt, & vnā cum ſtomacho intumuerunt, & aliam tunc habuit ventris excretionem. Iterum

rum ſenſit dolorem ventris cum corporis inquietudine, materiã alu⁹ tertio nigrã, liquidã & in tranſeundo comburẽtem excreuit: adhuc vomitus facilis & exiguus facit. Duodecima audita (cum circa ſeptimam venenum accepiſſet) curaui ſibi iuſculũ carnis afferri, de quo ad tria ſumſit cochlearia, ęgerrimeq; tunc temporis odorem carnis decoctæ ferebat. Elapſa hora, dum ſitiret obtuli, panem in vino lymphato infuſum: non potuit comedere, parum tamen bibit. Verum iam ſpem meliorem de ſalute concipiebat, de qua prorſus antea deſperauerat, omnia pedetentim in tranquilliorem ſtatum ſunt redacta. Cœnauit nocte cõmode & bene dormiuit. Mane cum hominem quo pacto ſe haberet, interrogaſſem: Reſpondit, gantʒ wol/ quaſi diceret, omnino bene: licet hypochondria tenſa adhuc & renitentia tactui apparerent, quod ſymptoma abſque aliorum medicamentorum ope, omnino quieuit. Mihi, vt vere quod ſentio, ſemel dicam, videtur Bezoar medicamentum eſſe regium, facile, placidum, omni periculo carens, &c, vt Aëtii verbis vtar, pueris, mulieribus, ſenibus, tutiſſime datur hæc medicina, vel ſub ipſo canis feruore, quo præcipue tempore, reliqua medicamenta omnia ſuſpecta ſunt: quandoquidem corpus nullo alio pacto alterat,

*Bezoar lapidis commendatio.*

debilitatue: Sed maxime roborat. Hæc cum mihi de viribus & efficacia præstantissimi lapidis Bezoar comperta essent, animaduerteremque R.D.V. non nisi libenti animo perlecturam, illa sibi animoque & obsequio omni meo offerre volui. Ita faxit Deus, vt quo cumulus suarum virtutum heroicarum, personam suam illustrissimam dirigit, fausto fœlicique cursu percurrere possit.

*S. R. D.*

*deditißimus*

*Claudius Richardus.*

*Plura de hoc lapide qui cognoscere cupit, is legat librum Nicolai Manardi medici Hispani, quem scripsit de ijs rebus, quæ ex Occidentali India exportantur, ad vsum medicinæ pertinentibus, lib.2. ca. 2. qui copiose & erudite per multas obseruationes & historias, vires pretiosi huius lapidis recensuit.*

QVA

## *QVA RATIONE GEMMÆ pretiosæ & genuinæ à falsis & adulterinis discerni debeant.*

### Cap. XXXVI.

COmmvnis igitur vtilitatis gratia hic concludam, & vt pretiosis gemmis debitam laudem attribuam, nec incomparabili ipsarum virtute illas defraudem: mirum non est, si quandoque sint, qui decipiantur, adeo vt quæ verę credebantur & probatæ gemmę, viribus illis genuinarum plane carere cognoscantur. Id quod frequenter, præsertim nobiliorib. illis de quib. supra dictum est, accidit. Mundus enim perpetuo fraude & prauis hominibus abundauit, qui in hac præcipue gemmarum materia, incredibilibus modis adulterare & falsificare conati sunt, adeo, vt principibus & hominibus in hac professione exercitatissimis, sæpe graue fuerit veras à falsis discernere. Vt nihil dicam de multarum rerum deprauatione & adulteratione, quarum in medicina vsus est, de hisque præcipue, quæ ex longinquis regionibus exportatæ populorum vt plurimum barbarorum nomini Christiano hostium infensissimorum manus pertranseunt. Quemadmodum de lapidibus Bezoarticis politis, læuibus, & pul-

*Bezoarticorũ lapidum adteratio*

pulchram formam referentibus dictum fuit; qui licet Bezoar orientalis nomine appellati fuerint, nihil aliud ſunt, quam Saracenorum imposturæ arte factæ, qui intelligentes his in regionibus magni fieri, varia mineralium & paſtarum mixtura, adulterare conantur, & vi ignis, eiuſmodi ſubſtantiam & colorem illis inducunt, quam ſibi propoſuerunt: vnde poſtea non ſolum ad materias medicas ineptæ; verum humanæ vitæ inimicæ & noxiæ deprehenduntur. Idem etiam vnicornu euenit, cuius multa fragmenta, variis ex locis ad me tranſmiſſa fuerunt, vt qui longo tempore me in hac profeſſione exercuerim: nihil tamen aliud, quam oſſa combuſta, aut multis ſeculis ſub terra calcinata, aut mineram lapidum, ope naturæ hunc in modum productorum, eſſe deprehendi, quæ virib. plane carebant, exceptis iis quæ omnibus oſſibus combuſtis inſunt. Quid de vario genere boli Armenæ dicemus, quæ à Galeni temporibus, in hunc vſque diem nunquam ſyncera viſa fuit? Terræ quaque ſigillatæ, à Turciæ populis ad Papam etiam miſſæ, omnes friabiles fuerunt: nec in quoque harum confidendum eſt, quod vera ſit, terra Lemnia excepta: quanquam & hæc frequenter adulteretur. Quoniam vero pretioſi lapides, mea quidem ſententia, vt plurimum, natura

*Bolum Armenã ſynceram amplius non videri.*

tura sua, ex purissimis fumis mineralibus procreantur, quemadmodum nonnullorum superius mentionem fecimus: qua ratione quoque Plato scriptum reliquit, Adamantem surculum aut ramum auri esse: hinc boni Alchymistę, pręsertim in Germanię mineris & fornacibus, naturam imitari probe sciunt, & præter omnium colorum plasma, gemmas veris simillimas fingunt (quarum aliquæ in forma Smaragdi, lapidis Lazuli, Rubini & Turchinæ apud me sunt) quæ omnes ex officinis illis metallicis æris, argenti & ferri producuntur; & id vt plurimum casu, dum metalla illa igne purgantur. Sapphyrus vi ignis præparata, decolor apparet, & in Adamantis formam conuertitur, quæ non raro hominibus etiam in hac arte versatissimis, fucum facit, quam Sapphyrum albam nuncupant. Easdem gemmas ex antimonio, cinnabari, & vitro efformant, diuersis additis materialibus, vtpote, arsenico, auripigmento, vel argento viuo: quæ demum omnia vilia & ementita euadunt, ex quibus nonnullæ, quarum in medicina quoq; vsus est, nullo modo per os debent accipi ob veneni suspicionem: pro remediis tamen externis vsurpari possunt, si experti cuiusdam medici cōsilium accedat. Omnia gēmarum genera obumbrantur & colorem

*Alchymistarū fraudes & imposturæ in fingendis falsis gemmis.*

accipiunt,cum foliis tinctis, vel aliis quibusdam mixturis, arte quadam, ligaturæ gemmarum suppositis, adeo, vt homo quoque expertissimus, raro de gemma aliqua pretiosa iudicium ferre possit,nisi illam solutam viderit. Plinius lib.37.c.vlt.refert, experimenta illarum pluribus modis constare: primum pondere; quia falsæ grauiores sentiuntur, vtpote ex terrestriori materia constantes. Id quod in margaritis conspicitur, quæ sua natura leuiores existunt. Translucentes matutino tempore probari debent, aëre sereno & puriore, circa tertiam vel quartam horam. Re namque compertum est, iis horis ac aëris constitutione penitius longe introspici posse,quicquid vitii habeant.Cum enim fictitiæ ex ignobiliore constent materia, & vigore ignis agentis minus regulati, formatæ sint, colorem & splendorem variare, & languidiores euadere, nitore videlicet, priusquam ad oculos deueniat, desinente,vbi certissimarum splendor,colorue, non in facie tantum (vt in adulterinis) sed & per omne corpus, quibusuis etiam,forma & situ gratissimæ iucundissimæque visuntur, ceu scilicet,ad sui decoris spectaculum, blanda quadam oculos alliciant comitate.Quo namque diutius inspiciuntur, hoc magis delectant, ac non inefficaci gratia & suauitate obtutus

*Gemmæ veræ & genuinæ qua ratione à falsis & adulterinis discerni debeant.*

ex-

explent. Laudatæ ſimiliter & lima probationem recuſant, quo probationis genere gemmariorum maior pars vtitur : quanquam Smaragdus verus & Topatius, limam quoq; capiant. Ignibus poſtea propinquæ non ſpuriæ illæſæ euadunt ; excepto tamen chryſoelectro ignium rapaciſſimo. Quod ad figuram illarum attinet, cauæ aut extuberantes, viliores videntur, æqualibus & politis, demptis illis, quæ ex animalium ventre exſcinduntur: quales Aëtites, & verus lapis Bezoar exiſtunt, ex quibus ſcabroſæ palmam ferunt: planæ vero, æquales, politæ, omnes ex adulterinornm genere ſunt. Oblongas quadratis prætulit antiquitas : verum nunc anteponunt quadratas & politas, quemadmodum de Adamante dixi; aut rotundas in ſuo genere. Vnde margaritæ maioris pretii cenſentur eſſe illę quę grandiores, rotũdiores & clariores vel candidiores cæteris exiſtunt. Dum vero huic contemplationi finẽ impono, obiter hoc moneo, ex tot virtutib. quib. lapides pretioſi ſunt prǽditi, nos excitari longe magis debere, ad opera virtuoſa, & contemplationem veræ & cœleſtis illius Hieroſolymæ, vbi finis noſter & vita æterna repoſita eſt.

Annotationes.

Quid de vario genere boli Armenæ] *Bo-*

Terra Armena vera qualis esse debeat.

*lus Armena aut terra Armena, ex Gal. lib.9. Simplic. c.2. ex Armenia minori Cappadociæ finitima, afferri solebat, coloris pallidi, friabilis, promptissimeq; in læuorem solubilis, vt calx & stella Samia, nec plus quam hæc lapidea aut arenosa; tametsi nõ æquè læuis sit, sed illa magis conspissata minusq; aërea, adeo vt negligentius, intuentib. lapis videatur.*

Gemmæ quot modis adulterentur.

Hinc boni Alchymistę] *Gemmæ adulterantur multis modis. Primo vitrum tingitur varijs coloribus, imitaturq; Smaragdum, Callaida, amethystum, hyacynthum, cyanum, chrysolithum, topazium. Secundo ex crystallo tinguntur gemmæ translucentes. Tertio ex veris, sed vilioribus, fiunt pretiosæ vt ex amethysto, carbunculi amethystizõtes, ex beryllis, aqua marina, beryllisve fiunt Adamantes.*

Gemmarũ probatio quotuplex

Plinius refert] *Quinq; modis gemmas probare solemus an naturales sint aut fictitiæ. Siquidem ponderando hoc fit potissimum quando naturales factitijs sunt grauiores, quia minime sunt porosi, dempto Smaragdo. Tactus deprehenditur tepidior in vitreis, in veris frigidior. Tertio, lima, quia naturales non atteruntur si Topazium & Smaragdum excipias, quæ tamen si fuerit Scythica aut Ægyptia, ne ipsa quidem vulnus accipit.*

*Vitreæ vero & factitiæ, quia molles & fragiles, limam sentiunt. Quarto, visu, quando naturales grato intuitu, spectantis fascinant oculos, quod illis color insit multo nitidior. Fulgor qui in veris emicat,*

*micat, constans permanet atque implet oculos: qui in vitreis conspicitur, priusquam ad oculos peruenіat, desinit & euanescit, quod in ipsis euidēs est, cum interdiu, matutino tempore, & noctu ad lumen lucernæ admotas, spectamus. Sed oculi præterea deprehendunt in vitreis pustulas, quæ in profundo apparentes, aliquando instar argenti relucēt, & vitreis plerūq; est scabritia in cute. Quinto, igne. Naturales n. nullum igniti suscipiunt næuum; sed in pulchriorem maximè assurgunt colorem, si Chrysoelectrum sustuleris. In vrbibus Italiæ nobilioribus, gemmam adulterinam, auro claudere, vetitum est.*

Sapphyrus vi ignis] *Qua ratione Sapphyri albæ in Adamantes commutentur, id docet Alexius Pedemontanus lib. 6. secret. f. 321.*

Gemmarũ aliæ probationes.

Ignibus postea] *Ignis verissimus gemmarum censor est. Naturales siquidem in illo illæsæ persistunt: aliæ omnes vel perniciem sentiunt, vel maculantur. Prunis enim adulteratæ iniectæ, fumum edent, quod lapidum naturæ aduersarium est. Fluores quoq; metallici, qui primo aspectu videntur esse gemmæ, potissimum carbunculos & amethystos repræsentantes, quamprimum ignem senserint, diffluunt. Hac ratione à gemmis certissime dignoscuntur: quia gemmæ igne non liquescunt. Probantur quoq; alio modo. Frica lapides in panno laneo: si leuant festucas, boni sunt. Item, appone lapidi guttam aquæ vitæ; si facit pellem non est bonus, & econtra.*

*Scien-*

Lapides pretiosos quoq; senescere.

*Sciendum hoc loco est, lapidibus pretiosis, morbos, senium & marcorem aduenire non secus ac animalibus, ratione quorum propriis etiam viribus destituuntur. Nam senio confectus Magnes ferrum non trahit: pedore etiam ac squalore debilitatur, vt etiam animal.*

Sunt nonnullæ aliæ gemmæ admodum communes & vulgatæ, *quibus etiam medici frequenter vtuntur; quarum licet autor nullam fecerit mentionem, breuibus tamen 4. vel 5. mentionem faciemus, ipsarumq; vtilitates à paucis obseruatas, & scriptis traditas, recensebimus, à Corallis exorsi.*

## *DE CORALLIS.*

### CAP. XXXVII.

*Corallus quid.*

CORALLVS frutex est, in imo maris nascens, paruus & ramosus, baccas habens similes cornis natiuis, specie & magnitudine, item molles, sed candidas: qui quamdiu aquis tegitur, lignum est; statim vero alto mari extractus: dum aërem tangit, in lapidem induratur. Id quod scitè Ouidius his versibus declarauit.

*Sic & Corallum quo primum contigit auras*
*Tempore durescit, mollis fuit herba sub vndis.*

*Corallorũ materia quæ.*

Horum materia est succus quidam existens in cauernis profundi maris, qui attra-

ctus

ctus à planta, ratione cuiuſdam affinitatis & proprietatis, concoquitur optimè & planta lapideſcit. Quod auten ſuccus attrahatur ratione cuiuſdam proprietatis, ex eo patet, quod vbi generatur & lapideſcit Corallus, ſunt varia muſci genera: tamen Corallus lapideſcit, muſcus minimè. Quod porro ſuccus ille attractus à planta illa vertatur in corallum per concoctionem, perſpicuum eſt ex eo, quod videmus, vnam atq; eandẽ coralli plantam, habere aliquas partes magis lignoſas, aliquas magis lapidoſas, quod rurſus ſuccus iſte ſenſim attractus, recipiat magnam concoctionem in plantis illis, id ex mutatione coloris ipſius plantæ patet. Nam ex albo vel viridi alioue colore donata fit rubicunda.

*Corallorũ differẽtiæ.*

*Corallio non vnus color. Inuenitur enim rubrum, ſubrubrum*, candidum, nigrum, ſubuiride: attamen priuſquam retibus fuerit euulſum, aut ferro præciſum, viride videtur omne. Eximitur circumquaque muſcoſum, & deraſo prius ab artificibus cortice, ſuis coloribus conſpicue niteſcit. Quod ad ſaporem attinet, modicè aſtringit: Quod ad odorem ferè algæ inſtar olet. Multas differentias ſortitur. Aliud enim molle, aliud durum, aliud ſolidum, aliud fiſtuloſum, aliud politum, aliud ſcabrum. Quoddam plures habet ramos,

mos, quoddā paucos. Porosum, quod spongiarum modo inane sit, niueo candore conspicitur, idq; frigidius est. Compactum magisq; lapideum est, tum rubrum tum nigrū:

*Corallorū electio.*

Probatissimum, quam maxime rubens, & quam ramosissimum, quod algæ instar olet: quod facile teritur, & æquabiliter concreuit: non scabrosum, nec lapideum, nec rursus inane aut concauum. Pretium est in magnitudine, nitore, cuiuscunq; sit coloris. Rubrum viribus præstat, reliqua raritate: sed nigrum est rarissimum.

*Coralli cur pulchriores reddātur, si à mare quam à fæmina gestentur.*

Coralli in orbiculos elaborati ac læuore perpoliti, si à viro sano gestentur, rubescunt exuberantius, quam si hoc gestamine fœmina decoretur. In pallorem enim muliebri consuetudine elanguescunt, ac colore natiuo destituuntur: partim ob emanantes ex illa fuliginosos densosque spiritus, partim quod languidum calorem habeat, ac frigidæ humidæque sit naturæ, quæ qualitates aliq̃d conseruare, tueriq; nequeunt: cum vir caloris innati substantiam vaporosam, mitem ac suauem sit consecutus, ac velut aromatis odore imbutam.

*Coralli qua ratione rubicūdiores efficiantur.*

Qua ratione & Sinapi semen, corallum rubicundum efficit, si illo obruatur. Cum corde mirabilem consensum obtinent; qua de re multa scribi possent. Experientia tamen testatur, corallos rubros albesce-

bescere, liuescere, & variis maculis conspurcari fœdarique, quoties ab homine, morti iam vicino aut morbo periculoso laborante gestentur, adeo, vt sæpe peritos dubitare contingat, an vnquam genuini & boni coralli fuerint nec ne, quia tenera eorum substantia à vapore, qui corpori nondũ officere potest, facile affligitur. Color vero postea redit globulis plane madefacto lauatis. Gestati sic, imminẽtes morbos pręmõstrãt. Omne corallorum genus exsiccat, astringit, atque refrigerat: cor, ventriculum, & iecur confirmat & roborat, sanguinem æquat, & eo pacto hilarem hominem efficit. Aduersus pestilentium morborum iniurias, omnisque veneni impetum, præcordia munire creditur. Vigente enim peste, si drachmæ dimidiæ pondere, corallorum rubeorum puluis quotidie assumatur, hominem à peste securum reddere, ab expertis asseritur. Menstrua nimis fluentia cohibet: sic dysenterias iuuat: nec non seminis profluuium in viris; album vteri fluorem in mulieribus reprimit, absque vllo alio subsequente corporis incommodo: Id quod à cæteris astringentib. medicamentis exspectandũ non est, quæ plerumq; alium in corpore affectum excitant. Sanguinem reiicientibus & cruentis sputis medetur.

*Corallorũ mutatiõne morbos portẽdere.*

Ape-

A peste egregie præseruat. Contra fascinationes & venerea, in collo & brachiis gestantur: quin & comitialibus recte alligantur. Hinc Arnoldus de villa noua, medicus celeberrimus, iubet, vt infantibus mox natis, antequam cibũ, vel quidquam gustauerint, grana decem corallorum minutissime puluerisatorum, cum lacte materno exhibeamus: hac ratione enim per totum vitæ curriculum, ab epilepsia præseruari, & tutos reddi. Id quod se Camillus Leonardus medicus Pisauriensis, frequenter expertum fuisse testatur. Eorundem collo & brachiis si appendantur, terrores & pauores nocturnos abigunt, & dentitionem faciliorem efficiunt. Cinis ipsorum oculorum medicamentis admiscetur: vlcera carne explet, & cicatrices extenuat: item, renum & vesicæ calculis conuenit, gingiuarum & dentium medicamen præstans. In officinis bene constitutis, ex corallis, & aliis medicamentis simplicibus, celebris præparatur compositio, Diacorallium appellata, cuius vsus creber est in vomitu, lienteria, dysenteria, & aliis alui fluxibus. Eius hæc est descriptio. Recipe corallorum rubeorum præparatorum, drachmas duas, margaritarum præparat. drachmam vnam, boli Arm. drachmam semis. ligni aloës scrupulum vnum, saccari albissimi, dissoluti in

*Qua ratione teneri infantes, ab epilepsia præseruari possint.*

*Diacorallium & eius vsus.*

in aqua rosarum & cinamoni tenuioris quãtum sufficit. Fiat confectio solida. In summa, purior Corallorum essentia, summa cum vtilitate exhibetur ad purificandum totum sanguinem, ad morpheam, herpetes, & affectus omnes matricis curandos: ventriculum roborat, & sanguinis reiectionem magnopere sistit. Qui vitriolum assumpserunt, & inde in ventriculo & intestinis, corrosiones, vomitum & secessum deueniunt, ad hæc linguæ crassitiem & nigredinem acquirunt, & difficulter respirant, drachmas duas corallorum rubeorum subtiliter tritorum, ex vino mox bibant, & melius habebunt, Foresto, medico expertissimo id comprobante.

*Pro veneno vitrioli.*

Coralli eodem modo quo margaritæ, in liquorem & oleum rubicundissimum, Chymicę artis mysterio, rediguntur. Alii Corallos minutim contusos, in aqua ardenti, siue viridi salis liquore prius in calcem soluunt: deinde hanc abluunt stillando, donec nulla amplius salsedo percipiatur: postea puluerem vini spiritu excipiunt, & per balneum, sexies aut septies refundendo, abstrahunt. Alii Corallos in calcem subigunt: hanc resoluunt, & ex vini spiritu, nouies extillare sinunt, dum salis instar dissoluantur: quicquid autem in fundo remanet, id recenti vini spiritu perfundunt, & priore modo

*Corallorũ tinctura & oleum, eorundemque vsus.*

euocant ; vſque dum tinctura Corallorum
proueniat , quam ipſi animam appellant,
ſummum medicæ facultatis myſterium. O-
mnes interiorum partium affectus radicitus
euellit, & corpus cœleſti quadam vi, in tem-
peratum habitum, abſolutamque & exqui-
ſitam commoderationem reſtituitur. Sic igi-
tur quinta corallorum eſſentia, quemlibet
morbum comitialem à pueris, & ætate pro-
uectioribus, in quinque ſeptimanis, prorſus
ſubtrahit. Sic etiam omne alui profluuium à
quacunq; cauſa ortum , tam in pueris, quam
in adultis, cohibet, etiamſi morbus ad extre-
mum peruenerit. Ita ſanguinem à quacunq;
parte manantem coërcet, quouis modo ad-
hibita. Sic igitur fluores vterinos quoſcun-
que ſiſtit, & ad probam naturæ temperatio-
nem reducit, ne quid mali recidiui in reliquis
corporis partibus vnquam, quemadmodum
ex aliis medicamentis omnibus, conſequa-
tur. Adhæc, idem oleum, oculis ſuperimpoſi-
tum, eorum dolores ſedat: defluxiones mi-
rifice compeſcit, & puſtulas diſcutit. Intra
corpus ſumptum, eadem propemodum, ſed
non tam efficaciter præſtat, vt tinctura. Hæc
enim decem guttarum inſtar, ex liquore ali-
quo idoneo exhibita, mirabilia, tam in viris,
quam fœminis, iunioribus & adultis, efficit,
Ioanne Guinterio Andernaco, id atteſtante.
Sal

SAL corallorum Spagyricè præparatum, tempore pestis sæpe fœlicissimo cum successu fuit exhibitum: quod etiam in omnibus diarrhœę generibus, drachmæ dimidiæ pondere, in vino dissolutum, vtiliter exhibetur.

*Sal corallorũ & eius vsus.*

## *DE AËTITE ET Geode.*

### CAP. XXXVIII.

AETITES lapis, ab Aquila, quæ Græcis ἀετὸς dicitur, nomen habet. Germani vocant Ein Adlerstein: sic dictus, vel à colore aquilæ candicante cauda: vel quod in aquilarum nidis reperiatur. Aiunt binos inueniri, marem & fœminam, nec sine his parere aquilas. Est vero vel candidus, vel gallæ colore, vel subrutilus, vel in rutilo niger. Huius varia genera & differentias describit Plinius, libri historiæ suæ naturalis 36. capite vigesimo primo.

*Aëtites lapis vnde dictus.*

*Aëtitũ differentiæ.*

Notatu dignum est quod lib.2. vitæ Apollonii, Philostratus refert.

Aues quoq; (inquit) quis non videat pullorũ causa multa facientes, velut aquilas & ciconias? quæ nunquam nidos extruunt, quin lapides illis imponãt: hæc quidẽ à se aqlinum vocatũ, illa vero Lychnitum appellatũ. Ideo

quod facem adhibent, vt oua fœtum producant, & serpentes nidis non appropinquent. Sunt tamen qui asserunt, Aëtiten non in Aquilarum nidis gigni, sed in montibus & saxorum commissuris inueniri. Quãtitas Aëtitis magis varia est. Etenim aliis est magnitudo, mali Armeniaci: aliis, Persici: aliis, Punici: aliis, Melonis. In concaua parte, tãquam in aluo continet aut terram, aut arenam; aut lapidem. Hunc ob id prægnantem lapidem, nonnulli appellant; quod intus lapillum alterum inclusum habeat, vt eo concusso facilè audiatur: vel potius quod prægnantibus prosit. Aduehuntur vero hodie lapides isti ex Apulia, magni, parui, & mediocres, diuersorum colorum. Optimus qui è nido Aquilæ excerpitur, grauis & candidus est. Pessimi, rotundi, in fluminum alueis inuenti, qui & ipsi resonant.

*Aëtites lapis cur prægnans dictus.*

*Aëtitis electio.*

*Aëtitis vires & vsus.*

Omnis Aëtites exsiccat: quidam etiam astringit. Qui lapillum in aluo continet, alligatus sinistro, grauidæ mulieris brachio, fœtum, ne vuluæ lubricæ excidat, continet. Idem lapis sinistrę coxæ alligatus, fœtum promouet: sed mox illo eiecto, lapis amoueatur. Si namque diutius perstaret, vi potente sua, matricem attraheret, illiusque fieret excidium. Cuius rei exemplum recitat Franciscus Valeriola, medicus Gallus diligentissimus & doctis-

*Historia.*

doctissimus, quod Valentiæ acciderit. Cum enim mulierculæ, coniugi Ponsoni Ioberti, ciuis Valentini, & Valentiæ Allobrogum, prætoris vrbani, lapidem Aëtitem magnum, cruri alligassent, & ædito partu per imprudentiam & obliuionem, à crure non amouissent, post paucas horas, forâs prodeunte matrice, mortem miseræ laboranti attulit. Serpentes præterea arcere creditur: ob id enim nido imponi ab aquila. Deprehendi & furta illo prædicant Nam panis, in quo lapis ille fuerit, porrectus furi commanducatusque, transmitti non poterit, sic scribente Dioscoride. Hinc elegans prouerbium sumi conueniet, Aëtiticus panis huic porrigendus: In hominem cui furandi vitium natura sit insitum. Scribit Petrus Bellonius, libro 20. obseruationum suarum cap. 23. consuetudinem hanc etiamnum apud Græcos in vsu esse, qua, lapidis huius facultate, furta manifestent. Furem igitur deprehendere volentes Græci, omnes furti suspectos simul euocare solent: se enim adfuturos pollicentur. Multis autem id ceremoniis peragitur: admurmurant enim Caloieri multa verba, dum massam pinsunt sine fermento, è qua paruos panes conficiunt, oui magnitudine: horum singulis qui conuenerunt, terni deuorandi, totidem bolis, nullo potu addito,

*Caloieri sunt monachi Græci.*

deglutiendi prębētur. Id experimentum nos fieri videmus: atq; qui furtum commiserat, nunquam tertium panem deuorare potuit: quin imo dum deglutire niteretur, parũ abfuit, quin suffocaretur. Propterea reiicere coactus est. Monachi Græci id obseruant tanquam peculiare secretum, nec cuiquã communicare volunt. Intelleximus tamẽ illos, lapidis Aëtitis pollinẽ, suæ massæ, dum panes hos conficiunt, inspergere. Si supponatur patinis venenum continentibus, comedentes illud ferculum deglutire non poterunt. Geodes lapis Aëtiti cognatus est. Quẽadmodum.n. aëtites lapidem, ita Geodes terrã in se complectitur. Propterea à Græcis γεώδης, & à Germanis Erdtstein/ vocatur. Gignitur in Misnia, non procul à Dresda, & in Sax. prope Hildeshaimiam vrbem. Hic lapis astringit & siccat, caligines oculorũ discutit: illitus a. ex aqua, testiũ, mãmarũq; inflãmationes sedat.

*Geodis lapidis vires.*

## *DE VMBILICO VENERIS, SEV Marino.*

### CAP. XL.

VMBILICVS marinus in genere cochlearum marinarum numerari solet. Reperitur n. inter cochleas ad mare in littoribus. Coloris est interdum rubei, aut candidi, aut purpurei. Dicitur autem Vmbilicus Veneris,

ris, à forma ſeu figura, quia ab altero eius latere cum ſit planus, ab altero, quo eleuatur, ductis lineis (velut in domunculis cochlearum) ventrem rotundum, quaſi pomum & vmbilicum puellæ formoſæ pro parte refert. Verum Germani magis reſpicientes ad formam eius quam refert à latere eleuato, propemodum fabæ magnitudine, deinde ad patriam eius, vbi reperiatur, vocant Ein Meerbonen / q. fabam maris. Cretenſes oculum marinum appellant, & ad imagines ſuſpendunt, dicentes, oculis ſuccurrere.

Hic vmbilicus Veneris dicitur conciliare gratiam puellis, & plurimum facere ad formam & amorem; deinde ad morbos puellarum. Sunt, qui amuleti loco in collo geſtent, pro vitando & præcauendo eryſipelate, quod Germani vocant, das Rohtlauffen.

*Vmbilici Veneris vel marini vires.*

Certa tamen mihi conſtat experientia hunc ſanguinem vndequaque fluentem, mirificè ſiſtere, & præſentaneum afferre auxilium, ſi ex parte eius plana & auerſa, cum ſaliua hominis fronti applicetur.

*Obſeruatio propria.*

Id quod ego ſemel alq; iterum Patauii obſeruaui, præcipue in vetula quadam, quæ per ſcalas, in caput decidit, & plurimum ſanguinis per os & nares, præſertim vero ex vulnere capiti inflicto profudit, qui cũ variis adhibitis remediis, ſiſti nõ poſſet, adhibito lapide,

mox fuisse cohibitum, non sine admiratione vidi.

*Sanguinē menstruū immoderatius fluentē quid cohibeat.*

Qua ratione à Gallis, secreti loco, mulieribus, nimio mensium fluore laborantibus, in puluerem tenuissimum redactus, cum aqua appropriata, vel conserua aliqua, vtilissimè exhibetur. Illi quoque qui sanguinem per interualla reiiciunt & exspuunt, manifestum ab eo perceperunt auxilium, si puluere eius cum pari portione cornu cerui vsti, vel corallorum rubeorum præparatorum, in ouo sorbili, vsi fuerunt.

## *DE BORACE SIVE LAPIDE Bufonis.*

### CAP. XLI.

PROFERVNT Rubetæ seu Bufones lapidem, qui nonnunquam eius animantis imaginem repræsentat: Verum annosæ sunt, diuque in arundinetis, vel inter rubos sentesque ac vepres delituerunt, antequam lapis in capite concrescat, aut aliquam magnitudinem assequatur. Alii vocant *Crapontinam*, Germani Ein Krötenstein.

*Lapidis Bufonis differentiæ.*

Eius duo sunt genera, vnum subalbidum, coloris scilicet in candido fusci, sicut si lac intrauerit in sanguinem, & vicerit eum, & ideo sanguinis vias obscuras in eo apparere

rere dicunt:Alterum verò nigrum, in medio cæruleum oculum habens: præſertim ſi viuę Boraci extrahatur.

His in caua conuexitate interdum ſanguineæ & candidæ guttæ, interdum aureæ. Omnes oculi figura extuberant, ſed non omnes ſunt cauæ, cum tamen vtræque ſint eiuſdem generis. Raro ſunt lupinis maiores, ſæpius minores. Candidus & ſuſalbidus melior eſt,& raro reperitur. Eximendus autem, antequam bibat bufo, vel aquam tangat, bufone adhuc palpitante.

*Lapidis Bufonis electio.*

Huius lapidis ea vis eſt, vt tumores atque inflationes à venenatis beſtiis illatas, crebro attritu contactuque diſcutiat. Habet ſiquidem eam naturam, qua etiam beſtia imbuta eſt,vt omne virus eliciat,conſumatque. Si enim ſorex, aranea, veſpæ,ſcarabæi,glires, vlli parti inſederint damnumq; intulerint, confeſtim à noſtratibus ad hoc remedium concurritur,admotoque parti affectę lapillo,dolor miteſcit, tumorque ſubſidit. Quidam ſcribunt Bufonis lapidem, in annulo perforato, vt carnem tangat, geſtatum, præſente veneno miro quodam modo contactam calefacere, ita vt neceſſe ſit annulum abiicere, quo indicio præſens venenum dignoſcitur. Hic lapis ſi bonus eſt, cum Bufoni præſentatur, ad ipſum oſculandum ſtatim accedit:

*Lapidis Bufonis vires.*

veneno oblato varius efficitur, colorem suum mutat, & quasi sudans, guttas emittit. Præsentissimo remedio est contra omnis generis venena. Nam cum quis venenum sumpserit, hunc deglutiat, qui deglutitus, intestina circuit, venenosam qualitatem intestinis impressam extinguit, & per secessum exit, ac reseruatur.

## DE LAPIDE CARPIONIS.

### CAP. XLI.

LAPIS Carpionis est, qui reperitur in piscis hoc nomine dicti faucibus, forma triangulari, colore exterius cãdido, intus autem subflauo. Prodest calculosis. Præcipue hanc dynamin habet, vt ebullitioni flauæ bilis aduersetur, wann einen der Soht brẽnt/ ore contentus. Idem tritus & in pollinem redactus, præsertim, si cum lanugine quæ in malis Cydoniis hæret, applicetur, ad fluxum sanguinis narium, inprimis commendatur.

*Lapidis Carpionis vires.*

## DE OCVLIS CANCRORVM.

### CAP. XLIII.

*Oculorũ vel lapidũ cancrorũ vires.*

OCVLI Cancrórum reperiuntur in cancris, maximè fœmellis: lapides bini, rotundi, globi dimidiati figura, instar oculorum.

rum. Vis illorum lapidum insignis est ad coagulati sanguinis dissolutionem & expulsionem. Et magna etiam in confringendo calculo. Si politi inter palpebram & oculum inferiorē interponantur, & ex vna parte ad alteram transferantur, oculum non lædunt, quin potius quidquid in oculos inciderit, secum educere solent. Idem facit Sapphyrus, vel Onyx, vel alia gemma polita interposita, modo parua sit.

SE-

# SEQVITVR D. IOANNIS LANGII MEDICI CELEBERRIMI, ET ILLVstrissimorum Principum Palatinorum Rheni, archiatri, Epistola.

## *AN AVRI ET ARGENTI, & gemmarum, vsus, in medicamentis & electuariis, & epithematis ac trageis, sit salutaris: ad Wilhelmum Rascalonum medicinæ candidatum.*

ADERAS nuper in Maio, Wilhelme, candidatorum medicinæ decus, in pharmacopolio nostro, dum electuarii ac tragææ compositionem, quæ ex aureis & argenteis bracteis, ac nonnullis aliis constabat, pharmacopœo dictarem, quibus Illustrissimus Princeps noster & dux Ott-Heinricus, S R. Imperii elector, & Palatinatus columen, in thermis Badenis loturus, ad conseruandum cordis robur & epatis temperaturam, vteretur: quas à salutifero Christi natali An. 126. M. Au-

*Thermar. Badensiũ vetustatẽ testatur in templo ibidem epigrãma.*

M. Aurelius Antoninus ſuo proconſulatu celebres reddidit. Tum tu, Wilhelme, quia veteres Medicorum ex his nulla confecerint medicamenta, ſuſpicabaris, noſtrates Medicos, horum pulueribus, imitatos Arabum veſtigia, magis ad oſtentationem & lenocinium vſos, quam vt ægrotis quicquam frugis afferrent: quippe ſi etiam in ventriculum hominis abſorpta fuerint, à calore vel proprietate congenita, vt ferrum in Struthionis, & aurum in murium ventriculis, euinci, & vt reliqua pharmaca, quæ alendo non ſunt, ad actum reduci non poterunt. Aurum ſanè cum ex defæcatiſſimis ſulphuris & hydrargyri partibus, indiſſolubili mixturæ ac temperamenti nexu, per calorem æthereum, in terræ viſceribus ſit concretum, vt nec ærugo, vel ignis edax, quippiam de eius ſubſtantia adimere poſſit: vni certe metallorum (inquit Ariſtoteles & Plinius) nihil igne deperit, incendia rogosque abſq; detrimento fert: quo ſæpius arſit, tanto plus perfectionis illi accedit, & ſic expurgatũ aurum obryzum appellatur. Nec ab eo quippiam difflatur, nec põdus ei decreſcit, niſi gallinacei oſſa in id liquefactum coniecta fuerint, & partem abſorpſerint. Quas igitur (aiebas) Lãgi, obſecro dic, medicas gemmis aut metallis ſubeſſe vires putas, quib. cor exhilarẽt, affectusve

*Mures arrodere aurũ & ferrum teſtatur Pluta. in libr. de φιλοπλουτίας: & Pli. l. 8. Æli. l. 5. ca. 14. de animalib.*

*Aurum ignis & vẽtriculi calore manet illibatũ. Ariſ. 3. Met. c. vlt. Plin. l. 33. Dauid etiã Pſal. 11.*

*Gallinarũ oſſa aurũ inſumũt. Pl. li. 29. c. 4. & Vit. Card. cap. proprio.*

*Cibus concoctus per quos meatus ad cor defertur, Gal. l. 2. ad Glau. & lib. 5. de locis affectis.*

atrę bilis supprimant, febres extinguant: cũ pleraq; vt Adamas sint deleteriorũ facultate prędita: cum ipsa & illorũ recrementa & scoria, aut pulueres actione & concoctione caloris naturalis destituta, cruda per πυλωρον, ad intestina, postea ad mesaraicas, tandem ad epar & eius venæ concauæ ramos, priusquam ad cor, perferantur. Necesse enim est, per tot venarum anfractus, vires gemmarum fatiscere: quam ergo cordi imbecilli afferre possint opem, plane Langi non video. Ex Galeni quippe methodi libr. 11. ac 12. nec alia cordis effœti fomẽta, quæ id reficerent, noui, pręter odorem, aëra & nonnulla epithemata: nisi quæ bonum generant sanguinem, & inde spiritus claros, qui cor exhilarant, vires dispersas coadunent, cor quoq; alacrius reddant. Neq; id electuaria ac tragæas, vel pastillos ex iis concinnatos, præstare posse crederes: cum peritissimus nostri seculi Medicus Mundella, Brixiensis Medicus, Smaragdi & aliarum gemmarum vires, non adeo magni fecerit. Proinde enixe orabas, vt quid de medicatis gemmarum, Sapphyri, Hyacynthi, Sardii, granati, corallii, smaragdi & margaritarum viribus, quibus Electuarium Mesue Diamargariton constat, sentirem, tibi explicare velim. Nil certe Wilhelme petitione tua opus est. Probè sanè nosti, mea in re litera-

*Cordis debilis fomenta.*

ria

ria obsequia, quantum mihi per negotia integrum fuit, bonarum artium cultoribus nunquam defuisse. Proinde vt veras gemmarum vires, à falsis recte discernere possis, operæ pretium est, vt scias, triplices esse gemmarum & quorundam aliorum simplicium pharmacorum vires: quæ ex partium elementorum mixtura, quæ naturæ vel Dei opus est, primarum vel secundi ordinis qualitatum obtinent, operationes: vt crystallum & corallia infrigidare, & siccare magnetem: alia sordes vlcerum detergere, vlcera dysepulota consolidare & cicatrice illa obducere. Alias vero eorũ facultates, ex magica religionis superstitione, ac herbarũ vel radicum syderum & spirituũ sympathia, ad incantationis deliramenta, ab Orpheo & Indorũ philosophis excogitatas, nõ magni facio: ob quas gẽmas in annulis, aurib. & armillis deferebant. Id quod Prometheum, fatali vinculorum, in Caucasi rupe, compede vinctum, primum excogitasse fingunt. Qualis fuit ille admirandus Gygis, primum pastoris, deinde Regis Lydorum, annulus, cuius in annuli pala, gẽmam ad se torqueret, illius fulgore, oculorũ astantium aciem ita perstringebat, vt à nemine videretur: cum eam retorqueret, omnibus erat conspicuus. Quis n. rationis cõpos non irrideat velut anilia deliramẽta, in Acha-

*Triplices gemmarum & pharmacorum vires, Gal. l. 1. & 2. de simp. med. fac. & de antidotis.*

*Magicas med. simp. vires passim Plin. docet.*

*De Prometheo hæc Plin. l. 37. in prol. Alex. Aphr. li. 6. Probl. 130. & Æschylus in Prometh. tragœdia.*

te coniugum concordiam & castitatem: in Topazio, sinistri brachii armillis inserto securitatem; & Neptuni imagine hyacyntho insculpta, æquoris tranquillitatem: & Magnetem puluinari subditam, vxoris insomniis prodere adulterium: & alias sexcentas huius generis nugas? quas ne assis quidem facio. Aliæ vero sunt in arte curandi morbos gemmarum facultates, experientia repertæ, & vsu peritorum approbatæ, nempe, curare anthraces, esse iobolorum & cuiusuis veneni aut toxici alexipharmacum, aciem oculorum instaurare, cordis vires labefactatas & spiritus reficere, illiusque palmum coërcere, alios quoque plures curare morbos. Atque cum horum causas effectuum reddere nequimus, oportet nos rationis inopes, agyrtarum more, ad cæcas formæ specificæ proprietates, tanquam ad sacram anchoram, & imperitorum asylum, vel ad certo imperscrutabiles syderum operationes & effectus, vnà cum Hermete & philosophis Indorum & Ægyptiorum, confugere: Qui, vt mea fert opinio, non malè asserunt omnium Lunari orbi subiectorum vires, à stellis, & à circuli Alaur imaginibus, siue horum motu, lumine & situ dependere: Aut, si mauis cum Galeno nostro ad rerum simplicium ἀπορ-ῥοίαν, hoc est, vaporum effluuium, confugia-

*De Gigis annulo hæc Plato l.2.de rep. Lucian. in votis M. T. Cic. de off. lib.3.*

*Hermetis opinionē declarat Alb.l.2.de mineralibus.*

giamus; quo pleraque περίαπτα & amuleta, vt nigella in catarrho, efficacius operantur, quam in puluerem redacta, aut colliquefacta, in ventriculum ingesta. Sic Galenus expertus est, Smaragdum, quem Iaspidem viridem appellat, supra orificium ventriculi pro amuleto appensum, illud corroborare. Nec temerè Æthiopes & Romani, annulos in proximo, minimo læuæ manus digito, deferebant: non eo certe nomine quod læuę manus otio, annulus minus, quam dextræ vsu, attereretur: sed quia in anatomia Ægypti compererant, neruum vel arteriam, ex hoc digito ad cor pertingere, per quem gemmarũ ἀπορρεία ad cor penetraret. Quod Apion in libris Ægyptiacis, & Orus apud Macrobium l.7. Saturnal. his verbis affirmat: Adeo, inquit, verum est, quod dicis, ô Dassiri, Ægyptios opinari, vt ego, sacerdotes eorum, quos prophetas vocant, cum in templo vidissem circa Deorum aras, hunc in singulis digitum confectis odoribus illinire, & eius rei causas inquisiuissem, & de neruo, quod iam dictum est, principe eorum narrante, didicissem: insuper de numero quoque qui per ipsum singnificatur: complicatus enim senarium numerum digitus iste demonstrat, qui omnifariam plenus, perfectus atque diuinus est. Hæc ille. Iam vero, Wilhelme, reliquum

*De nigella id Gal. quoque tradit.*

*Gal. lib. 9. simp. med. Aëtius lib. 9. c. 19. Oribasius l. 9. Synops. c. 10.*

*De ãnulis hæc Gel. l. 10. Macro. l. 7. Satur.*

*Antiqui digitorũ motu, numeros explicabant, vt Beda presbyter docet.*

est, ne epistola modum excedat, vt gemmarum, quibus Electuarii Mesue Diamargariti compositio constat, vires explicemus. Inter quas primas habet Smaragdus, de quo paulo ante diximus. Hic in India de saxis arenosis, ventorum flatu detritis, emicat, ac de ærariis Cypri metallis eruitur: hic viperarum morsibus medetur: hæmorrhoides sistit: femoribus alligatus, partum accelerat: Veneris quoque conflictum illæsus non fert, quin disrumpatur. Huius nouem hordei grana læuigata, & per cribrum excreta, in aqua calida stomacho ieiuno hausta profluuium ventris, ex acrimonia pharmaci vel humorũ putridorum acredine excitatum, sistit: vt Auenzoar in prologo consilii sui Soldanũ docet, & Auerroës 5 collig. approbat. Huic addatur Sapphyrus, cærulei coloris gemma, quæ intestinorũ quoq; vlcera & scorpionum ictus curat, pustulas & oculorum excrescentias deprimit & extenuat, arteriis applicitus, calorem febrilem mitigat, & cor exhilarat: vt Vitalis Cardinalis & Medicus, reliquit. In censu quoq; gemmarum, quoq; Margaritæ habentur, vniones quoq; dictę, quod nullibi duo reperiantur indiscreti. Hæ in ostrearum conchis oscitantibus, ac rore antelucano saturis, in maris Indici & Erythræi promontoriis concrescunt: quas aceto in liquorem tabesce-

*Smaragdi vires describit Pli. lib. 37. c. 5. Theophr. in l. de lapidib. Dio. l. 5. c. 100.*

*De Sapphyro, Diosco. Gal. lib. 9. simp. Theophrastus.*

*De margaritis hæc*

bescere Cleopatra Ægypti Regina, M. Antonium, consulem Romanum docuit: quas si tonuerit, conchæ inanes abortiunt. Hæ cardiacæ passioni medentur, cruentum quoque alui fluorem sistunt: quod idem Cardinalis affirmat. Succedit Corallium, quod suis medicatis viribus nulli gemmarum cedit. Hoc in æquore iuxta Siciliæ & Syracusarum promontoria, expansis instar virgulti, ramis, crescit: ob id λιθοδένδρον, id est, arbor lapidea dicitur. De quo Orpheus, poëta & magus ita cecinit.

*Plin. l. 9. c. 35. & Athenæus li. 3. dipnosophistarũ.*

Χλωρὴ γὰρ βοτάνη πρῶτον φύει, οὐδ' ἐνὶ γαίῃ,
Ἥν γε φυτῶν ἴσμεν στερεὴν τροφὸν, ἀλλ' ἐνὶ
πόντῳ
Ἀτρυγέτῳ ἵνα φύῃ, ἵνα βρύα γίνετ' ἐλαφρά.

Id est: corallium primum vt herba viridis, in æquore crescit: nulli enim plantarum in terra firmum, & quasi saxeum nouimus alimentum: sed crescit in ponto turbulento, vt leuis alga, exemptum æquore lapidescit, hoc colore rubenti, aliud albo. Vtrumque astringit & refrigerat; sanguinis exscreationes coërcet: oculorum in collyriis cicatrices exterit: concaua vlcera explet, & album cicatrice obducit; & stomachum roborat languidum, ac berberorum succo (vt aceto vniones) colliquescit:

*De coral- ~~tu~~ hæc præter Theop. Diosco. & Orpheus in lib. de lapidibus.*

quescit, de cuius liquore cochlear absorptũ dysenteriam curat. Id quod ego fœlici successu expertus sum. Ac granati vulgares censentur gemmæ, quia passim iuxta Bohemorum syluam, & ad radices montis Fiechtelberg in scaturiginibus aquarum colliguntur, nec magni constant. Hos esse de Pyrorum, id est, Rubinorum genere ne dubites: & illorum succidaneos. Rubinos vero esse ex oriēte Æthiopum amethystos, quos Heliodorus in hist. Æthiop. perbellè his verbis depingit: At, inquit, Amethystus Æthiopica, ex profundo, vt ignis rutilat: quod si tenens illum, circumuerses, radium proiicit aureum, non obscurantem asperitate visum, sed gratia quadam & puritate singulari illustrantem. Atqui & ipsi vis inest genuina præ Amethystis occidentalib. Non enim falsò sibi vendicat appellationem, sed verè arcet ebrietatem ab eo à quo fertur, sobrium illum in conuiuiis retinens, ἀπὸ τοῦ α, priuationis particula, & μεθύω, inebrio, etymologiam deducens. Paulus Venetus, vir qui vidit multorum hominum in nouo orbe, mores & vrbes, in libro de regionibus Orientalibus scribit, Regem insulæ Seilam habere Pyropum, id est, Rubinum: longitudine spithami, spissitudine trium digitorum dimensionem adęquantem, qui vt ignis ęoruscaret, omni carens

næuo

pæuo aut macula, quem Cham ille magnus, ciuitate ſatis præclara, ab eo licitatus fertur: ſed Seilam pretium gemmę inæſtimabilis recuſauit. In medicina nihil aliud de eo compertum habere, cum crapulam concoquere, oculos caligine ſuffuſos illuſtrare, & cordis ſpiritus fouere. Sardii vero ac Hyacynthi gemmarum vires, & aliarum, Dioſcorides lib.5. de med. ſimpl. Plinius li. 37. Theophraſtus & Orpheus, vterque in libello, lapidibus dicato, abunde docebunt: & his omnibus quãtum ad medicinam attinet, vberius Gal. li. 9. de med. ſimp. hæc tractat. Quod vero argutè ratiocinaris, aurum & argentum, ac gemmas, quandoquidem ignis calori valde ſint contumacia, à calore quoque naturali in corporis alimoniam non euinci & digeri, ſed cruda per aluum deiici: ob id, nihil roboris aut medelæ cordi: cæteriſque viſceribus afferre poſſe contendis: hac ratione Wilhelme, nihil certe efficis. Sunt enim ſane quam plurima pharmaca, ſcammonea, colocynthis, chamelæa, & id genus medicamentorum, quæ intra corpus deglutita, à calore in corporis alimentum non conuertuntur: illud tamen alterant, & à putridis humoribus pituitæ & vtriuſque bilis, exonerant. Alia vero indigeſta, ſuo natiuo frigore, vt cryſtallus, Sapphyrus, febrilem epatis & cordis dyſcraſiam,

*Pharmaca & deleteria, Gal. teſte, coctioni non ſunt obnoxia.*

ſiam ad ſuum temperamentum reducunt. Sic aurum adeo temperatum fertur, vt cor calidum infrigidet, calidum vero ad temperamentum & frigidum, leui ſuo tepore foueat: cuius limatura in electuariis deglutita, ab elephantiæ, Græcorum & Latinorum lepræ, contagione, immunes eo vtentes, conſeruare dicitur. Lamina ex auro, linguæ cauſonis æſtu affectorum impoſita, febrilem ardorem linguæ refrigerat. Argentum vero, & præcipue aurum, cum ſit igni contumax, vtriuſque tamen fiſtula, intra membranulas pergameni virginei poſita, frequenti, lati malleoli ictu, in bracteas, foliis tenuiores lenteſcunt ac cuduntur. Membranæ vero vires necandi pediculos, hydrargyrio pares habent. An vero ab vtroque metallo, aut alia ratione, non facile dixerim. Si ab auro, illius certe bractearum aut foliorum, in electuariis, aut tragæis vſus, & aurum potabile, quam ſint ſalutaria, tu Wilhelme qui es artis Chymicæ peritus, videris. Præterea an pro gemmarum fragmentis, illarum ſcoria, id eſt, ſordes & recrementa, ſubſtitui debeant. Præterea pharmacopœum adhortaberis, vt ab impoſtura mangonum ſibi caueat, qui ex cryſtallo & vitro puriore, gemmas, quaſi natiuo colore, aut verius, fuco infectas, arte cõficiunt, & pro veris, magni vendunt. Cum igitur

*De bracteis, i.e. foliis auri, hæc Volaterranus & Vitalis Cardinalis.*

*Gemmarum mangones cauendi.*

tur tantum in electuario Mesue Diamargariti, subsit fraudis, eius quas vocabant speciebus aut puluere, in confectionibus, aut trageis, aut epithematibus, nunquam vti volui. Hæc boni consule quæso. Quod si Theutonicum magnum, qui de mineralibus scripsit, ex Italia aut Gallia, ad me perferre curaueris, plura quæ ad artem Chymicam spectant, te admonebo. Vale.

# INDEX GENERALIS PRÆCIPVORVM CAPITVM IN HOC TRACTATU de gemmis contentorum.



De

# *INDEX SPECIALIS RERUM ET VERBORUM, in hoc opere de gemmis & lapidibus pretiosis contentorum, descriptus secundum ordinem Alphabeti.*

A



Aëti-

Ar-

Auri

Gra-

Me-

Ru-

Vir-

FINIS.

## TYPOGRAPHVS LECTORI beneuolo. S. P. D.

*QVoniam pagellas hîc complures mundas relictum iri, animaduertebam: ideo tibi me rem non ingratam facturum putabam, si ea quæ Sebastianus Verro Physicorum suorum libri sexti capite tertio & quarto de Gemmis scripsit, præcedentibus addi curarem. Ea igitur capita nunc ordine subijcientur de verbo ad verbum. Vale.*

### CAP. III. *De gemmarum ortu & viribus.*

LAPIDES alii pretiosi æstimantur, alii viles: illi tenuitate præstant, hi siccitate. Pretiosi sunt gemmæ & marmora. Proueniunt gemmæ abundè in regionibus orientalibus ob cœli ad earum generationem aptam ibi temperiem: gemmiferæ sunt etiam Persia, Phrygia, Thracia, Media, Cappadocia, Arabia, Scythia, Cyprus, quin & Germania: Indicæ cæteris vt plurimum sunt præstantiores durioresque. Generantur inter saxa, aliquando inter metalla, tenui materia ab impuriore segregata & temporis diuturnitate cœli virtute in lapillum purissimum constricta. Habent suas matrices, lapides alios; vt margaritæ conchas marinas. Sunt illis pulchræ vires & proprietates, ex quibus non iniucundè ipsarum cum cœlo consensus cogna-

gnatioq; animaduertitur; ſiquidem enim lumine, claritate atq; omnis fæcis experte puritate cum cœlo conueniant, facile eſt coniicere cœlum ſuas virtutes in eas liberius copioſiusq; transfudiſſe. Sed peruerſum hominum iudicium anſam hinc ſumit præuaricandi, dum terrena cœleſtibus æquiparant; imò malunt denſum lutum, calculos, cōcharum verrucas, & terræ minutalia (vt eleganter Abacuc Propheta, & Tertullianus appellant in mentem Plinii) cœli nimirum ſimilitudinem, quam cœli beatitudinem ſibi comparare.

## Cap. IV. *Gemmarum genera.*

GEmmæ in primis diſtinguuntur colore, perſpicuitate, duritie & viribus: colores tamen non ita plane deſcribi poſſunt, atq; oculis diſcernuntur. Perſpicuæ aliæ ſunt, aliæ opacæ, nonnullæ mixtę: & quo quibuſq; color perfectior, eo minus ineſt luciditatis. Sunt autem hæ ferè: Adamas gemma candida, duriſſima, quippe, qui cæteras duritie facile omnes vincat: & pellucida. Onyx coloris candidi perſpicui ſed hebetis. Sardonyx candida ſed opaca. Chryſolithus aurei coloris, dura & perſpicua. Sarda ignea perſpicua. Carbunculus rubens, cuius ſpecies ſunt Granatæ & Carchedonius: reperiuntur apud In-

dos

dos Carbunculi Pyropi nomine tanti ſplendoris, vt radios Solares lumine videantur æquare. Amethyſtus violacea ſeu vinoſa & perſpicua. Hyacynthus fulua ſed vel in croceum, vel rubeum, vel etiam cæruleum inclinans; & medium quid inter perſpicuum tenens & opacum. Smaragdus dura & omnino viridis. Beryllus viret quoque ſed commixtos quandoque alios colores habet. Praſius virore item conſtat, ſed non diluto: atteritur vſu. Topazius ex viridi conſtat & croceo: perſpicua eſt, limaque tangitur. Chryſopraſius ſimilis eſt ſed durior. Sapphirus opaca ſereni cœli imaginem refert. Miſtos colores habent & varios Iaſpis & Achates, omnesque quaſi colores recipiunt: Ille oculis miram iucunditatem adfert, hic durior eſt; vterque vt mixtos colores, ita permixtam opacitate perſpicuitatem habet.

## ERRATA.

*Pagina 20. versic. 1. lege* videatur. *ibi. 13. Chalcedonii. 54. in marg. v. 2. annotationis posterioris,* accidere. *60. 1.* Argentinamq;. *61. 1. in marg.* Granatorum. *64. in marg. itidem* Granatorum. *83. 19.* die proximo. *diuisim. 95. in marg.* Misnēsibus, Æthiopicis *97. in marg. v. 1.* Chrysolith⁹. *118. in marg.* opinio de. *129. in marg.* vera auri. *185. 28.* scorzonerę. *207. 9.* pane madido. *222. 1.* bilis supprimāt, *diuisim. ib. in marg.* concoctus.

Bound by J.S